Philippus Hecquet Doct. Med. Abbavillaeus. 1688

METHODVS

IN SEPTEM

APHORISMORVM

LIBROS

AB HIPPOCRATE OBSERVATA


OMNIBVS TAMEN RETRO SÆCVLIS

Inaudita.

Iam primùm mirabili ſchematon artificio demonſtrata à

F. FOGEROLÆO *Conſiliario & Medico Regio.*





PARISIIS,

Apud ADRIANVM PERIER, via Iacobæa, ſub ſigno Circini.

M. DC. XII.

CVM PRIVILEGIO.



ILLVSTRISSIMO

GENEROSISSIMO ET INCLYTO HEROI FRANCISCO A BONA DVCI ESDIGVERIO, Tribuno militum, FRANCIÆ PARI, Interioris consessus Consiliario, & Delphinatus Allobrogum Proregi prudentissimo, S.



VÆ DIIS IMMORTALIBVS AGRICOLÆ, *ea tibi, Heroon Augustissime, ex agello lucubrationum mearum vota soluere propero. Cùm enim superiori anno libellum de senum affectibus tibi obtulissem, hoc sequenti etiam alterum, in quo Aphorismorum suspiciendam Methodum, omnibus tamen retro sæculis inauditam, adfero, vt non alio illam amplectaris animo, quo tu præclara quæque inuenta, maximéque vitæ humanæ vtilia, amore prosequeris: cuius virtutis prædicandæ, cæterarúmque, quibus belli pacísque temporibus refulges, cùm sim viribus impar, altioris tubæ præconio relinquens enarrationem tantùm istam ad typum Hyppocraticæ doctrinæ reformatam sub tuo nomine*

confero: ne ſaltem tui, qui nos grato ſemper excepiſti animo, immemores omnino videremur. Nimis enim anguſtus locus eſſet, ſi vel inſita tua decora, probitatem, humanitatem, generoſitatem & animi magnitudinem commemorare vellem: quantò anguſtior, ſi adſcita, fidem, patriæ amorem, Regis obſeruantiam, rei militaris ſummam experientiam, quibus, veluti gradibus, ad regiarum dignitatum culmen perueniſti, mihi perſequi conſilium eſſet? Te tamen tali dignitate, ea probitate, iſta ætate, hiſce temporibus in regia aula verſantem, me tui nominis obſeruantiſſimum bene afficere non erit à tuis virtutibus alienum. Quod ſi potentiſſimi tui fauoris aura ita libellum noſtrum afflauerit, vt eorum mihi ſpes refulgeat, quorum gratia ad te accedo, & quæ tu ſine fauoris diſpendio impertiri potes, mihi ampliſſimam laboris mercedem à te retributam, téque nobis hæc otia feciſſe, apud omnes grata commemorabo oratione. Deus itáque tuarum virtutum moderator te diu incolumem proſperéque agentem Conſeruet. Vale.

Tui obſeruantiſſimus
F. FOGEROLÆVS.



PRÆFATIO

IN METHODVM AB HIPPOCRATE OBSERVATAM OMNIBVS tamen retrò sæculis inauditam & iam primùm miro schematon artificio demonstratam.



IVINITATIS nomine antiqui inter præstantissimos auctores Homerum & Hippocratem commendarunt, quòd ante omnem natam philosophiam ita magnificè vterque philosophatus sit, vt posteris in suo scribendi genere principatum meruisse fidem fecerit. Nam de Homero, vt priùs in medium proferam, quod omnes sentiunt, nemo est, qui non ita poeticæ venustatis in eo miretur elegantissimos flores, vt non tantùm, qui sequuti sunt poetæ, sed etiam oratores ad eius lectionem se contulerint, è qua troporum & schematon pigmenta in omne varietatis genus transformantes sua consperserunt scripta reconditam in eo miræ eruditionis facultatem interim prætereuntes. At qui paulò altiùs animum erexerunt, sub verborum inuolucris eam philosophiæ partem, quæ de moribus, de

re familiari gerenda, & de rerum publicarum administratione, quin etiam, quę de finibus bonorum & malorum à sapientibus disputantur, deprehendentes, non solùm voluptatem in legendo, sed etiam vtilitatem quandam sub fucatę orationis inuolucro delitescentem deprehenderunt: vnde velut ex equo trojano numerosa quędam ingeniorum propago per vniuersam profluxit Gręciam, quorum alij operibus naturę intenti, alij huius vitę moderationi cęperunt philosophari. Primus sanè ipse Hippocrates Deorum immortalium beneficio mortalibus concessus ita pręclarè de vniuersa hominis natura & sensit & scripsit, vt quotquot ab eo extiterunt philosophi, in primísque Aristoteles, suorum decretorum fundamenta ex eius auctoritate confirmare haud dubitantes, non minorem gratiam illi, quàm ab Oratoribus & Poëtis Homero habendam iudicarunt. Nam cum vtérque primus infestissimos humani generis hostes, hic bellum, ille morbos, rursúsque eorumdem hominum ἐπικούρους, hic pacem, ille sanitatem ita graphicò expresserit, vt in tanta rerum varietate & annorum seriè non sit adhuc compertus, qui eos altiùs humanis caput exerentes ausus sit erroris vel leuissimi insimulare, præter Homeromastiga illum Zoilum & Hippocrato-mastiga Paracelsum, quorum ille inuidiæ, hic ignorantiæ, vterque ignominiæ & temeritati prouerbium fecit. Quis enim, nisi mentis inops, perspicuæ solis claritati lipientibus audeat oculis contendere, aut fascibus ascensis meridianam lucem illustrare? furor est sanè, aut deprauatę mentis iudicium. Non tamen ita hoc à me dictum velim, quasi posteris suo-

rum inuentorum gloriam ſubtrahendam eſſe exiſtimem, cùm ab Homero ad noſtram ferè ętatem multi extiterint poëtę, quorum ſcripta etiamſi luculenta, ſi tamen cum Homerico ſplendore conferantur obſcura & tenebricoſa reperientur, non ſecus ac minores ignes in perſpicua ſolis claritate. Conſimiliter quoque dicendum de medicis, quorum facultas cùm ſit multò generi humano vtilior poëtica, ab omni ſęculo plures quoque inſignioréſque fuerunt in ea artifices, quorum libri etiamſi varia doctrinę fœcunditate ſint referti, longè tamen ſententiarum vbertate ſuperantur. Quid de iudicio & inuentione rerum ratione & experientia comprobatarum dicam? his enim (duobus velut pedibus corpus) totius artis robur & firmitas ſuſtentatur. Hippocrates cùm rudis adhuc & informis iaceret medicina, nec artis ſpeciem præ ſe ferret vllam, ſed in triuiis à nondum defœcatis hominum manibus miſerè tractaretur, hanc honorificè excipiens pręclaris repertis ita perpoliuit, effinxit & auxit, vt illam non modò ad ſummam perfectionem euexerit, quod tamen rarum eſt ab vno homine poſſe fieri in reliquis artibus, ſed etiam planè eius inuentoris nomine maxima cum laude commendetur, vnde nec immeritò his verſibus mihi celebrandus venit, quibus Lucretio ſapientię inuentores, dicenti:

Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum grauitate, ſuíſque repertis?
Quíſve valet verbis tantùm, quis pingere laudes
Pro meritis eius poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo quæſitáque præmia liquit?
Nemo vt opinor erit mortali corpore cretus.

His de causis, tum etiam quod fœlicissimè morbos humanæ vitæ hostes propulsauit, tertius apud Græcos ab Apolline & Æsculapio diuinos meruit honores, atque ab Atheniensibus Eleusinis sacris secundus ab Hercule monstrorum domitore initiatus: neque tamen, si Lucretio credamus, Herculis facta cum preclaris sapientum repertis æquiparanda, dum ait:

Herculis antistare autem si facta putabis,
Longiùs à vera multò ratione ferêre.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille Leonis obesset, & horrens Arcadius sus? &c.

Et paulò pòst:

Nil, vt opinor, ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit & trepido terrore repleta est.

Sic deinde concludit:

At nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis
Atque pericla est ingratis insinuandum.

Ergo, vt ad Hippocratem traducamus, quæ in Epicuri laudes Lucretius cecinit, & ad medicinam, quæ de morali Philosophia, non minori laude celebrandus fuit in antiquorum placitis cùm euoluendis, tum etiam iudicandis, quàm in Diuini sui ingenij repertis. Cum enim in Cnido illis temporibus medicinę publica haberetur schola, nec deessent, qui vndique corrasa è templis anathemata in artem redigerent, inscriberentque Cnidias sententias, primus rationis & experientiæ lancibus appendens splendidum de illis fecit arbitrium. Sic ille rudi adhuc & nascenti medicina boni agricolę opera functus, rerum omnium, quę amplissimo eius campo coercentur seminaria ab infœlicis lolij, lappæque, tribulique contagione non modo liberauit

publica mediciniæ schola in Cnido

liberauit, ſed etiam ad exemplum Virgiliani illius agricolæ, qui per aſtronomiam,

--Tempeſtates dubio prædicere cœlo
Rite poteſt, meſſiſque diem, tempuſque ferendi,
Et quando infidum remis impellere marmor
Conueniat &c.

Sic ille, cùm medicinam agriculturæ & nauigationi, duabus ad vitam artibus apprimè neceſſariis, non inferiorem vtilitate obſeruaſſet, ſuas etiam hanc habere prędictiones certitudine rerum admirabili voluit, quam partem ſic excoluiſſe eius teſtantur opera, vt pauci ſint affectus, qui non ab eo ſuis ſignis adſcribantur ad futurorum euentuum intelligentiam. In quo doctrinę genere Apollinem quoq; ita claruiſſe ferunt, vt ab antiquitate pro medicinę & vaticiniorũ numine ſit habitus. Medicina enim ſine prędictione nequaquam conſiſtere poteſt. Quod autem ad Methodum attinet, non poſſum ſatis mirari viros ingenio & diligentia pręſtantiſſimos, qui dum Hippocratem conſectantur, non tantum eius libros ſeiunctos ordinéque omni carentes, ſed etiam ſingulorum materiam nulla Methodo adhibita, ſinéque ſelectu ſcriptam eſſe contendentes. Hoc idem Galeno viſum fuiſſe eius apertê declarat oratio: οὐδεὶς μὲν τοι γε τῶν πρὸς ἡμῶν ἔγραψε τὴν ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας ἀρχομένην διδασκαλίαν, ἐξ ἧς καὶ τέχναι συνίσταιντο κατὰ μέθοδον. Idem quoque contigiſſe Homeri poëmatibus, operamque à Solone & Piſiſtrato ſucceptam reſarciendi ſenſus & verſuum ordinem, vt eſſet vtriuſque conſequentia, teſtatur Diuchidas in quinto Megaricon, vt eſt apud Laërtium, quod vix eſt credibile, quamuis non ſit dubium vtriuſque diligentia

Homericam poësin secundum literarum numerum & ordinem fuisse distinctam argumentísque illustratam. Nam quid tam indignum Homerica grauitate atque constantia fuit, quàm Heroica gesta diuulsis mandasse versibus, vbi totam historiam fœlicissimè complexus esset, eam tamen nec disposuisse, nec Methodo illustrasse, qua solent poësis studiosi ad legengendum maximè adduci. Cum constet id poëtam fecisse maiore quadam artificij specie dum populum sibi ducendum proponit, belluam multorum capitum, ideóque variè decipit: incipit à medio, ibíque sæpè primùm comprehendit, postremum denique incerto aliquo & inopinato casu concludit. Sic Homerus ipse, teste Horatio, Iliada disposuit:

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo,
Semper ad euentum festinat & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit, & quæ
Desperat tractata nitescere posse reliquit,
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Quocirca prætermissa Homerica methodo ad Hippocraticam opportunè redeo, in qua grauissimus ille scriptor magni semper interfuisse existimauit ad res tam præclaras explicandas, si certam suæ doctrinæ Methodum per vniuersam suorum librorum seriem diffunderet, non secus quàm venæ sanguinem per amplissimam corporis molem, & quam in toto diffudit in singulis etiam libris compendiosè cõtraxit, maximéq; in Aphorismis, in quibus admirabilem quandam rerum continuationem seriémque videre licet, ita vt alia ex aliis mutuo complexu inter se aptè

cohærere videantur. Quia autem ſemper ad praxin feſtinat & in medias res non ſecus ac notas lectores rapit, pauci ſunt libri, in quibus Therapeuticen cum Phyſiologia non coniunxerit. Idque factitatum non modo ab Hippocrate in medicina, verum etiam ab aliis ſcriptoribus, vt ab Euclide in ſuis elementis Geometricis, vbi theoremata problematibus, quibus aliquid demonſtrandum aut faciendum iubetur, cohęrent, interim illo ad conſequentium rerum demonſtrationes properante. Methodum tamen, quam in diſpoſitione librorum obſeruauit Hippocrates, latuiſſe vſque ad hanc ætatem inuerſa à Mercuriali librorum ſeries teſtatur, ſed quàm rectè fecerit aliorum eſto iudicium. Idem quoque dicendum de aphoriſmorum ordine, quem demonſtrare mirifica ſchematon Synopſi aggredior, nec aliquem ante noſtram ætatem id feciſſe cõtendo: tametſi Benedictus Buſtamante, vir Hiſpanus, ſi qua ea eſt gloria, hanc demonſtrationem ſe credat inueniſſe in ea epiſtola, quam præfecit libello de hoc propoſito: ſed quàm verè indicat Aphoriſmorum de ſuis ſedibus in alias tranſpoſitio, in qua non magis profecit quàm Butinus, Foëtius & plures alij, qui id, ſed alia ſcribendi Methodo à mente Hippocratis alieniſſima. Prætereo prudens & volẽs Galenum, Muſam, Fuſchium, cœteroſque omnes, qui licet præclara commentaria in eos ediderint, Methodum tamen vllam ineſſe ne cogitarunt quidem, ſolus Hurnius, vir multis anteponendus, eam ſuſpicatus in quibuſdam indicauit, in cęteris neglectam prætermiſit. Offredus nuper ſingulos aphoriſmos præmiſſis propoſitionibus ex Hyppocratico fonte hau-

ſtis, ſyllogiſticè concludens admirabilem diuini ſenis iudicij peritiam patefecit, negotiũ huic noſtro planè analogum. Prætereo etiam quorumdam deprauatum iudicium, quid id fieri potuiſſe temerè contendunt, cum melioris notæ medici ferè omnes quòd ab Ariſtotele de quadratura circuli, poſſibili quidem ſed nõdum reperta, id de Aph. Methodo pariter iudicandum eſſe affirment, in quorum numero fuit illè magnus Academiæ Pariſienſis Coryphæus Martinus, qui id, quod ego, tentauit, ſed morte præuentus intactum reliquit. Quid autem in ſuſcepto opere pręſtiterimus, hæc ſunt. Primò Galeni librum de ſumma doctrinæ Hippocratis ad conſequentium ſectionum intelligentiam præfecimus, enarrationéque rerum in eo contentarum illuſtrauimus. Secundò aphoriſmorum librum ſeptem ſectionibus totidemque ſchematon ſynopſibus, ſingulaſque ſectiones argumentis & ſcholiis explicatas reddidimus. His lector fruere.



SVMMA

DOCTRINAE HIPPOCRATICAE PER GALENVM.



RTIS Elementa atque initia quæcunque ita euidentia ſunt, vt clarè cognoſci poſſint, Hippocrates ſibi placere aſſerit. Quamobrem ex illius ſententia non modo humana natura, verum & vniuerſa quoque animantium genera cum ex ſolidis humidiſque partibus, tum ex ſpiritus copia conſtant: quinetiam arborum & ſtirpium eadem pene natura eſt, quæ animalium. Habent enim & has quoque partes illa omnia. Interim ex hac facultate & creſcunt & generant & adoleſcunt.

Solidis porrò partibus oſſa, neruos, cartilaginem aſſignauit: quinetiam membranas & venas omnes, cum quæ ſanguinem, tum quæ ſpiritum complectuntur ad ſolida iſta referuntur: cuius autem compagis & conformationis veluti fontem & principem caput videri, non aliter ac ſpiritus & flatus ab ipſo corde oriuntur.

Commentarij, quos ſolidis iſtis attribuit, ſunt de fractis membris, de articulis, cæteriſque his non abſimiles. Spiritus autem naturam libro ſingulari, quem de flatu inſcripſit, complexus eſt, vt humorum quali-

tates eo volumine,quem hoc nomine edidit,& libro, quem de natura hominis conſcripſit.

Humores autem, de quibus nunc agamus,ſunt ſanguis,pituita,bilis vtraque cum flaua tum atra. Sanguinem porrò natura humidum calidumque, colore rubrum, dulcem quoque ſapore eſſe cenſet. Pituitam humorem frigidum,humidum,album, ſanguineque ſalſiorem. Hinc bilem flauam, calidam, ſiccam, luteam & amaram. Alteram autem frigidam, aridam, atram,acidam.

Ad hæc & ætatis & anni partes conſtituit, in quibus humores hos ipſos,quos modo recenſui, peculiariter ſingulos redundare exiſtimat. Ita per primum tempus & ætatis & anni, vt pote in pueritia, veréque ſanguis abundat: in ætatis autem progreſſu & æſtate bilem flauam,vt in ea, quæ prouecta eſt, iamque vigere deſiit,atram,eique reſpondet autumnus: ſenectuti autem & hyemi pituitam adſcripſit. Quinetiam hęc eadem anni tempora ab humorum natura qualitate ſua non diſſident. Ver enim, vt ſanguinem, calidum humidúmque: æſtatem cum calore ſiccam: autumnum frigidum & ſiccum: hyemem humidam frigidamque quoque eſſe: neque aliter humores ſeſe ad hæc comparatè habere: eadem quoque numeri & naturę proportione diei conſtitutionem diſtribuit.

In vniuerſum verò naturam virorum à muliebri differre opinatur: nam illos magis calere, ſicciores ſque eſſe: has contra & frigidiores & humidiores. In hiſce autem ſingulis generibus diſcrimen aliquod & à regionum ſitu & aëris proprietate & victus ratione reperiri.

Ad hæc humores etiam singulos hominum naturæ non mediocrem vtilitatem adferre: nam sanguinis officium esse, vt alat, vt caloris vim, quam in se continet, per corpus diffundat, vt valetudinem conseruet, vt coloris bonitatem præstet. Bilis autem, præter id quod totum corpus compingat, meatus omnes ab obstructione immunes custodit, sensiendique vim acuit, ad coctionem facit, & vias demum omnes, per quas excrementa excernuntur, faciles & expeditas reddit. Quæ verò atra est, hanc humorum cæterorum & fundamentum & sedem quandam esse. Neruis porrò, item membranis & artubus volubilitatem pituitam suppeditare censet.

Arbitratus etiam est & ad animantium procreationem viri fœminæque semen æqualiter facere ac à qualibet corporis parte manare, & fœtum quidem masculum in vteri dextra, fœmineum verò sinistra generari, partemque eam corporis, quæ læua est, dextrâ minus esse potentem: non aliter ac, qui succumbunt, minus valida incumbentes existunt.

De morborum quoque causis sic statuit. E plagis violenter inflictis, quasdam aliàs ex aëre, qui nobis circunfunditur, aliàs ex humoribus, de quibus paulò ante diximus, quoties illorum copia vel inopia corpus laborat, aut alioquin qualitates propriæ, aut loci commutatione patiuntur, ortum habere. Auxilia autem ab his, quę causis istis contraria sunt petēda esse docet.

At ipsos morbos, quosdam esse acutos, quosdam longos, quosdam neque acutos neque longos. Acutos plerúmque & à bile flaua & sanguine, maxime verò in ætate florenti, æstate item & aëre feruido, nasci.

Longos porrò cum pituita tum atra bilis excitant, hosque senibus & hyemi esse peculiares. Qui verò dubij sunt, vtrisque causis coniunctis fiunt: atque ex his alios salutem, alios interitus periculum ostendere, docuit.

Qua de causa & præsensionem & prædictionem illorum ad artem necessariam esse, quanquam tamen non sint vna & eadem. Sæpe enim satis esset, vt medicus præcognosceret: sæpe certè aliquid prædicere potest. Præsentio autem illa triplex est: nam & ea, quæ antea facta sunt, & presentes morborum casus, siquid latentis habent difficultatis, ad hæc futura diuinationem colligit.

Quinetiam iudicantes dies non censet negligendos: nam impares acutorum morborum plerumque esse iudices: æquales verò eorum, qui longo tempore ęgros conficiunt. Ad hęc illos ęstate adolescentibus dextris incumbentibus partibus corporis adesse: æquales verò contrariis respondere.

Locos etiam, qui primario affectu corripiuntur, animaduertendos admonet: nam rerum cognitionem & adiudicationem ad opem ferendam magno auxilio esse posse.

FINIS.



SVMMÆ DOCTRINÆ HIPPOCRATICÆ ENARRATIO.

Quæ tanquam Polycleti norma singularum sectionum Aphoristicarum explanationem præcedit. Primoque,

De corporis & facultatum Principiis. Cap. I.

HOMINVM, animantium & stirpium natura iisdem penè Principiis & elementis constat: principia ab analysi, elementa à synthesi eorumdem naturæ docentur. Principia igitur (proxima, non physica intelligimus) aut sunt corporis, aut corporearum functionum: & rursus principia ~~corporis subeunt vicem materiæ physicæ, sicut~~ crassamentum & humores: aut vicem formæ, sicut spiritus & calor: crassamentũ est duplex solida nempe substantia, seu stamen illud terrenum, per quod toti robur inest, &quo tanquam basi reliquæ innituntur substantiæ: carnosa, quæ vndique circumfluit infercitque spatia inter fibras vacua. Humores sunt quoque duplices, quorum alij secundarij aut similares, alij primarij vocantur: secundarij, qui in solida substantia reperiuntur sunt primigenij, qui verò in carnosa ali-

mentarij:primigenij rurſus duplex eſt ratio, aut enim eius interuentu partes craſſamenti cohęrent firmáque in ſoliditate permanent, aut ſpiritus & caloris totiusque vitæ fundamentum eſt pabulum, ille aqueus ſiue elementaris, hic propriè primigenius ex generali nomine appellatur. Alimentarij quadruplex eſt ratio, aut enim ſolidis fibris adhæreſcens moles fit ſimilaris partis, aut tanquam proximum partis alimentum illi annectitur, aut in partis ſubſtantiam diffuſus illi apponitur, aut ex exilibus venarum & arteriarum finibus in vacua partium loca ſe inſinuat: prior concretus, ſecundus glutinoſus, tertius roridus, poſtremus influens nominatur. Primarij humores aut ſunt confuſi aut ſecreti, confuſi in venis & arteriis ſanguis, bilis flaua & atra, item pituita: ſecreti illi ſunt, qui propria habent receptacula, bilis flaua cyſtidem, atra lienem, ſerum veſicam.

Principia quæ ſubeunt vicem formæ ſunt ſpiritus & calor: ſpiritus autem aut eſt elementaris aut æthereus: Elementaris originem ducit ex elemento aëreo in promiſcua elementorum concurſione: æthereus rurſus eſt duplex inſitus & influens, inſitus eſt, qui tanquam vitalis aura & caloris inſiti flabellum in ſingulis inſidet corporis particulis: influens verò, è corde cerebro & iecore per neruos venas & arterias, tanquam caloris vehiculum in omne corpus permeat momento. Calor itidem duplex eſt elementaris & æthereus: elementaris originem ducit ex elemento igneo in promiſcua elementorum concurſione: æthereus rurſus eſt duplex inſitus & influens: inſitus eſt, qui tanquam humanæ vitæ opifex ſingulas corporis particu-

las fouet atque viuificat:influens verò ortu recondito, primò ex æthere,mox ex corde per vniuersam corporis molem se insinuat.

Principia corporearum functionum sunt temperamentum & appetitus:temperamentum autem consistit in modo & modificatore : modus autem aut est in legitima quatuor primarum naturarum permixtione, aut in debita quatuor primarum qualitatum harmonia. Modificatores autem sunt interni aut externi : interni, calidum innatum è spiritu, calore æthereo, & humido primigenio constans : externi verò, Saturni stella, quæ crassamentum moderatur, sicut humidum elementare Luna, & primigenium Venus:spiritus autem modificat elementares Mercurius, & æthereos Iuppiter:denique caloris elementaris vim regit Mars, ætherei verò splendidum Solis iubar.

Alterum principium corporearum functionum est appetitus, cuius sunt modi & modificatores : modi sunt tres naturalis, vitalis, & animalis:naturalis, versatur in discretione vtilium & inutilium, aut in motione facultatis procreatricis in producendo & conformando:aut nutricis in attrahendo, expellendo, continendo & coquendo : aut auctricis in apponendo & assimilando. Prior producit è semine cuiusque partis substantiam; illique compagem & situm propriis vsibus idoneum confert, altera alimẽtum attrahit, idonea coquit & retinet, superflua eius excernit; postrema substantiam substantiæ apponit, alimentum alito assimilat per omnem dimensionis amplificationem. Vitalis appetitus quatenus partim est naturalis, partim animalis diuersas habet functionum facultates:nam qua-

tenus naturalis ducitur instinctu ad procurationem vitæ & declinationem mortis: item pulsu ad crassamenti fuliginem excernendam, humores attenuandos, spiritus reficiendos & calorem contemperandum. Quatenus verò, vitalis est animalis, versatur in cognitione boni & mali, aut in motione facultatis concupiscibilis, vnde spes & amor, aut etiam motione facultatis irascibilis, vnde metus & odium, ad fugã rei incõmodę aut persecutionem cõmodę. Animalis appetitus versatur in sensu iucundi & iniucundi, aut in motione facultatis apprehēsiuæ aut progressiuæ ad locum: apprehensio est exterior, cuiusmodi sunt quinque sensus animæ nuncij, aut interior, cuiusmodi sunt discretio, iudicium, imaginatio, memoria, recordatio & ratio: functiones autem tam facultatis apprehensiuæ quàm progressiuæ ad assequendum vel fugiendum rem iucundam aut iniucundam spectant. Modificatores sunt duo interni & externi: interni sunt anima suis facultatibus instructa, quæ corpus secundum vniuersi leges moderatur. Huius perfectio est mens partim in materia degens, partim ab ea segregabilis: functio huius est ratio. Externi sunt natura ipsa vniuersi ad quam omnia referuntur. Huius perfectio est Deus omnino à materia segregatus, virtutis infinitæ, æternus, incomprehensibilis. Hæc de principiis, nunc de elementis.

De Elementis. Cap. II.

ELEMENTORVM doctrina pendet à synthesi: nam totum corpus è partibus organicis constat, partes organicæ similaribus, similares è semine & sanguine parentum, semen & sanguis parentum ex humori-

bus ſecũdariis, humores ſecũdarij è primariis, primarij ex alimentis, alimenta è concurſu & commixtione quatuor primarũ naturarum in hunc planè modum.

Cibi, quibus nutrimur, è quatuor primis naturis: nam nomine ſanguinis quatuor humorum mixtam congeriem intelligimus: hanc verò eſculenta potulentáque ingeſta nobis innouarunt: hæc porrò ſiue animantium carnes erant, ſiue piſces, ſiue terræ fruges & ſtirpium fructus à promiſcua elementorũ concurſione aliquando ſunt procreata eo ſanè ordine, quem in ſingularum rerum productione obſeruámus, ſiue artificioſa propagatione, ſiue naturali plantarum & animantium generatione, qualis viſa eſt Empedocli ſine præuio ſemine prima omnium rerum natiuitas, cùm terra tempeſtiuis ex imbribus madefacta caloreque ſolis & aëre inſinuato fruges & animantes produceret, è quibus ſingulæ animantes alimenta ab eo tempore capeſſunt, mutuáque altera alterius internecione victitãt. Quinetiam eodem ſpectat omnium interitus: quia natura rerum obitus conficiens, eò ſingula refert, vnde fuerunt accepta:

Humor ad humorem, terreno corpore terra
Creſcit, & ignem ignes producunt, ætheráque æther.

Humores primarij ex alimentis: nam manſum iam & ad nutritionem præparatum alimentum in ventriculum detruditur: itaque partim detrudente gula, partim ſuis rectis fibris attrahente ventriculo retentrix excitatur facultas fibrarum obliquarum miniſterio. Interea concoquens facultas cibum omnem mutat & conficit proprio ingenitoque calore & ſpiritu, tum eo, qui tanquam lebeti ventriculo è vicinis infertur

partibus,iecore,liene,omento,corde & diaphragmate. Itaque perfectè planéque cibis concoctis os infernum ventriculus diducit, reiicítque transuersis fibris, quicquid alimenti in chylum confecerat, in intestina. Vt enim arboris tenuissimæ radices è terra succum trahunt, ita vena porta suis exilium venarum orificiis per mesenterium in intestina disseminatis, quantum chyli coctum est,absorbens in iecur trāsmittit. Quem igitur chylum ope radicum venæ portæ attractum iecur accepit, hunc mora & contagione vera sanguinis specie perficit. Nomine sanguinis quatuor humorum mixtam congeriem appellamus, nam in eo bilis flaua & nigra cum pituita continentur, non secus quàm in lacte caseus,butyrum & serum. Vena porta iterum ex eodem iecore velut radicibus sanguinem illis partibus,vnde chylum hauserat, suis ramulis rependit, vt qui modo rami erant, mox fiant radices, radices autem, qui priùs rami. Quod superest, vena caua sanguinem è vena porta proliciens in totum corpus distribuit, per ramos sanè quam multos in omnes corporis particulas pertinentes.

Humores secundarij è primis: nam ex sanguine, qui in venis concluditur maioribus,quatuor humores secundarij consecutione quadam fiunt. Cum enim sanguis iam in extremis exilium venarum arteriarúmque perductus proprietate circunstantis particulæ allicitur, primus fit similarium partium humor, diciturque alimentarius: alter, qui per media spatia similarium partium roris modo dispergitur, roridus. Tertius, qui crassior iam factus, fibrísque adhærescens agglutinatur. Postremus, qui in partis substantiam conuer-

ſus illi perfectè aſſimilatur.

Semen ex humoribus ſecundarijs: nam ſeminis materia vtilis atque ſyncera eius alimenti, quod partibus ſolidis attribuitur, portio quædam eſt, quę vi teſticulorum attrahente è ſingulis corporis partibus ſecreta diſceſſit. Eius ſubſtantia craſſa eſt, & ſpumoſa, colore alba, pondere leuis, natura aërea, temperamento calida & humida. Perfectionem autem & fœcunditatem à ſpiritu vitali & calore æthereo omnimodę facultatis opifice è toto confluentibus accepit. Hic dum in vtero efferueſcit, quę compreſſę átque tacitæ in eo delitеſcebant facultates in actum erumpũt & viribus ſeſe oſtentant. Mox deinde ſuſcitata vi conformatrice in ſemine deliteſcente, huius materiam variè diſtrahit, parteſque ſimilares ſecernit, quarum molem maternum ſemen necnon eiuſdem ſanguis augent atque amplificant.

Partes ſimilares è ſemine & ſanguine Parentum: nam è ſemine paterno partes ſolidæ, frigidæ, ſiccæ & albæ caloris beneficio ſunt genitæ: è ſanguine verò materno molles, calidæ, rubræ, ſanguineę, vt caro, à ſanguine mediocriter reſiccato ad fibrarum vacua interſtitia opplenda, ad muſculorum item compoſitionem: ſub iſtud genus veniunt glandulæ, viſcerúmque parenchymata &c. Partes autem ſimilares, quæ è ſemine generantur craſſiore portione, ſunt oſſa & cartilagines: oſſium autem origo è calua aut ab oſſe ſacro: cartilago verò ex oſſibus paululo perfuſis humoribus. Quę generantur è portione tenaciori ſunt ligamenta & tendines: ligamentorum autem origo eſt è cartilagine & portione oſſis pingui, tendinum verò ecphy-

ſis è fibrarum ligamenti & nerui. Quæ generantur è portione mediocri ſunt nerui & fibræ: nerui oriuntur è cerebro, ſpinali medula & menynge duriori, fibræ è membranis & vice verſa. Quę generantur è portione lenta ſunt membranę & cutis: membranæ fiunt è fibris & menyngibus: cutis verò è neruorum & membranarum extremitatibus. Quæ generantur ductili portione ſunt venæ & arteriæ: venæ procedunt è iecore ſimplici tunica inſtructæ omni villorum genere, arteriæ verò è corde prodeunt duplici tunica textæ ad ſanguinis feruidiſſimi impetum ſuſtinendum.

Organicæ partes è ſimilaribus: nam vna aut altera paucis aut pluribus conſtant, omneſque ſimul velut propria corporis elementa in eius ſtructuram concurrunt. Oſſa enim velut pali & columnæ totius corporis ędificium ſuſtentāt. Cartilagines articulos ferè omnes incruſtant & oblinunt: vincula nectunt atque alligant. Membranæ tanquam cortices ſingula veſtiunt. Nerui ſeu funiculi membrorum vaſtiſſimas moles non ſine admiratione contrahunt & remittunt. Venę tanquam riui vniuerſum corpus irrigant. Arteriæ velut tubi ſingulas partes ſpirituoſo ſanguine perfundunt. Carnes ſpatia vacua explent.

Totum corpus ex organicis: nam anima comitum ſtipata fiducia ſuos habet nuncios, ſatellites, tamias, coquos, coquorũ miniſtros καθαρίζοντας, ſimul etiam quadriiugum equorum apparatum habenis, ſtimulis, frænis, calcaribus inſtructiſſimum. Hæc enim in corporis excelſiore & nobiliori parte cerebro, tanquam in vehiculi commodiore loco aut in puppe quieta ſedens ſibi hinc inde ſenſus exteriores velut nuncios, in-

teriores

teriores conſiliarios aſciuit, deinde pathemata vitæ ſatellites in pectore, vitalem facultatem eorum anteſignanam in corde, ambientiſque feruoris ventilatricem in pulmone locauit. Tamias autem iecori, coquos ventriculo, farctores meſenterio, & eorum miniſtros καθαιρόντας in liene, cyſtide, renibus, veſicæ & inteſtinis, vim ſc. naturalem totius corporis œconomicam in ampliſſima vehiculi ſeu nauis aluo. Exterius verò inſigne ſexus decorum pilos, barbam, & inſitæ generoſitatis vexillum, remúmque tubámque præfecit. Conſimiliter artus, manus & pedes, velut temonem & rotas in vehiculo, aut remos & malos in naui, in corpore aptauit. Hinc quadriiugis velut equis appetitu naturali, vitali, animali & voluntate concitata neruorũ beneficio, quibus tanquam habenis laxat aut reprimit impetum, huius vitæ curſum moderatur & perficit.

De partium corporis humani poſitura & relatione ad vniuerſum. Cap. III.

DEXTRA plaga mundi aquiloni, ſiniſtra auſtro tribuenda eſt, ſi faciem ad naturalem motum vniuerſi, qui fit ab ortu ad occaſum, conuertamus. Populi ad aquilonem robuſtiores ſunt ijs, qui plagam auſtralem incolunt, ſic etiam calidiores, rubicondiores, ac minus ſalaces. Vis corporum in ſeptentrione maior, ingeniorum in meridie. Ad aquilones marium, ad meridiem fœminarum maior eſt numerus. Flantibus Aquilonibus ab omnium animantium genere mares gignuntur, auſtris verò fœminæ. Corporum præſtantia, forma & robur ſeptentrionalibus, ingenij acumen ſagacitas, memoria & ſubtilitas meridionalibus maio

rà ſunt. Mercurialis Epicycli inclinatio meridionalis, Venerei ſeptentrionalis exiſtit. Flatus ab aquilone tanquam cœli ſcopæ aëra purificant, ab auſtro nubibus offundunt.

Dextra pars hominis robuſtior eſt ſiniſtra & calidior, rubicundior etiam, quia in latere dextro iecur ſanguinis & ruboris officina: lien in ſiniſtro melâcholię & nigredinis, vnde ſiniſtra dextris infirmiora, frigidiora & nigriora. Motus etiam & actiones animantium à dextris incipiunt & accubitus à ſiniſtris: maſculi mouentur in vteri dextro priuſquam in ſiniſtro, fœminæ contrà. Oculus dexter filium, ſiniſter filiam: dentes dextri amicos, ſiniſtri amicas, ſi Artemidoro credamus, ſignificant. Pes dexter, manus dextra robuſtiores, grandiores & vegetiores ſunt ſiniſtris. Solus homo natura amphidexios, non mulier, quia imbecillior. Qui dextro incumbunt lateri acutis morbis ſæpius corripiuntur diebuſque iudicantur imparibus: contrà, qui ſiniſtro incumbunt diuturnis corripiuntur paribuſq; iudicantur. Dextro hypochondrio tegitur hepar, ſiniſtro lien & ventriculi maxima pars. Lumbis hærent renes, quorum dexter plerumque altior eſt, ſiniſter depreſſior vtriuſque poli inſtar. Vas genitale dextrum è trunco cauę ſecundum ſpinam repentis prodiens ſanguinem fert depuratum egregiéque percoctum: ſiniſtrum ab emulgente lęua ſubtus emergens non expurgatum, ſed ſero dilutum ſanguinem haurit, hinc fœminę, illinc mares generantur. Ilibus dextris inteſtinum cœcum, ſiniſtris colum & ieiunum. Cor è medio parum in ſiniſtram declinat partem. Azygos à dextro latere in ſiniſtrum tranſit infe-

riores coſtas ſuis ſurculis alitura.

Anterior mundi plaga orienti tribuenda eſt ob vniuerſi motum ad occaſum: proinde flatus inde emergentes ſyderumque irradiationes in oppoſitos regionum, montium, vrbium, domorumque ſitus, fontiumque ſcaturigines, paulò ſalubriores, tepediores & gratiores, quàm qui ex auerſo cœlo proueniunt.

Anterior hominis pars venis & arterijs quamplurimis ſcatens calidior, tranſpirationique ob cutis raritatem accommodatior. Naturalis ſpiritus fauorabilis aura mammas veluti monticulos afflans irradianſque ex eorum ſpongoide ſubſtantia geminos fontes in lactis candorem excitat, mammaria vena thoracis muſculos & mammas interluente. Contra poſterior neruoſa, oſſea, frigidior cutéque denſiore prædita, rigoribus, horroribus, cęteriſque frigidis affectibus paratior.

Superior mundi plaga (media ambientis aëris regio) antiperiſtaſi caloris frigida, humida, nubibus, pluuiis, niui, grandini generandis accommodata: hinc quò regionum ſitus ſunt editiores eíque viciniores, eò magis aëriis perfunditur iniuriis: quinetiam ex editioribus montium iugis fontes, è fontibus riui, è riuis fluuij in ſuos precipiti lapſu admiſſi alueos, per agros & ſubiectam camporum planitiem in depreſſiora mundi loca deuoluuntur. Inferior contra mundi plaga, mediæ videlicet terræ viſcera, antiperiſtaſi frigoris calida, vaporibus, exhalationibus, fumis, flatibus, tremoribus, ibi concitatis inferiorem aëris regionem conturbat. Hinc quò regiones ſunt depreſſiores, centroque terræ viciniores, eò magis infeſtantur prædictis incommodis: quinetiam è profundis terræ viſceribus,

flammæ, termæ ſulfureæ, lapides, metalla, flatus, nubes erumpunt, ſurſumque feruntur.

Superior hominis pars, cerebrum videlicet, frigida & humida pituitæ & ſero generandis idonea per patentes meatus os, nares, fauces, œſophagon, aortam in ſubiectas corporis partes ventriculum & inteſtina, pulmonem & præcordia, frigidam vim & humidam pituitæ exonerat: hinc catarrhus, coryſa, branchus, pleuritis, phthiſis, âſthma, diarrhœa, lienteria, colicus dolor: vel per occultos, venas, neruos & arterias in articulos, iecur & cor, vnde ſyncope, palpitatio, hectica, cachexia, atrophia, leucophlegmatia, ſtupor, tremor, paralyſis. Inferior contrà calida & humida, vaporibus, exhalationibus, fumis, flatibuſque generandis aptiſſima. Quò enim regio depreſſior aut particula iecori vicinior, eò magis flatibus generandis obnoxia: hinc tetro vapore cor & cerebrum feriuntur, quinetiam calidi & frigidi repugnantia in profundis renum & veſicæ lacunis calculus generatur & velut è fodinis eruitur. Ad vmbilicum coli & ieiuni portio, imo ventri longano, veſica & vterus ſedent.

De morborum cauſis. Cap. IV.

CAVSARVM in morboſa corporis conſtitutione quatuor ſunt prima genera: Efficiens, quæ materiæ vim morbificam inducit: Materia, corpus ſcilicet & partes eius tam ſimilares quàm organicæ: Forma, morbi ſpecies à vi morbifica in corpus impreſſa: Finis actionum læſio, excrementorum ametria, & ſimplices affectus, ab omnibus tandem corporis interitus.

Efficientis cauſæ duo ſunt prima genera, quia principalis eſt aut adiuuans: principalis rurſus aut eſt exte-

rior, aut interior: Exterior quę procatarctica aliàs dicitur, aut est necessaria aut non necessaria: in necessariæ classe se recipiunt quæcũque sunt impressa à superiori radice, noua nempe syderum cõmixtione & influẽtia, vnde aër immutatur, spiritusque afficit aut qualitate manifesta frigore & calore, vel occulta, vnde Epidemij: ab inferiori, vaporibus videlicet & exhalationibus è terræ faucibus & locis palustribus, vnde aquarum & aëri insalubritas, morbique Endemij. In eamdẽ classem se recipit innata rebus non naturalibus, veluti aëri, quẽ inspiramus, alimentis liquidis & solidis è variis terrę frugibus & animantibus, item è variis aquarum originibus pariter qualitate aperta aut occulta corpus nostrum oppugnantibus. His adde somni & vigiliarum, motus & quietis, retentorum & excretorum, item perturbationum ametriam. Causa non necessaria sunt gladij aut lapidis ictus, bestiarum occursus, casus, ruina, aliáque fortuita, quæ vix euitare possumus. Hæc de principali causa exteriori, nunc de interiori.

Interior duplex est antecedens & cõiuncta, siue sine qua non: antecedens consistit in humorum ametria aut cacochymia: humorum ametria in plethora, quam antecedit otium & crapula, eamdem consecuntur torpor aut dolor grauis: item in humorum inanitione, quam præcedunt inedia & vehementior tam animi quàm corporis motus, eamdem consecuntur macies & debilitas. Humorum cacochymiam præcedit genesis bilis ex alimentis biliosis, melancholiæ ex melancholicis, pituitæ ex pituitosis: aut metaptosis sanguinis in bilem flauam, flauæ in atram, pituitæ in serum, spiritus in flatus, chylii in ichor, vermes, calculos.

Coniuncta causa aut est effusio cacochymiæ vel plethoræ ad aliquod membrum diadosi, metastasi, palindromē: aut cohibitio eiusdem cacochymiæ in parte, quam occupauit.

Adiuuans rursus aut est aduentitia aut insita: aduentitia ab humorum ametria, vnde partium distentio & resolutio: distētio, quam antecedit plethora, sequitur lassitudo: resolutio, quam antecedit inanitio, sequitur debilitas: item ab humorum cacochymia, vnde partium intemperies & corruptio: intemperies, quam antecedit cacochymiæ prouentus, consequitur cruditas pepasmi expers: corruptio, quam antecedit humorum degeneratio, consequitur materiæ morbificæ malignitas, tenuitas, crassities, &c.

Insita duplex est naturalis & præter naturam: naturalis versatur in elementorum repugnantia, & insiti caloris efficientia, quæ nos à naturali temperie non tantùm remouent, sed etiam per accidens immutant & conficiunt. Causa præter naturam in semine paterno aut sanguine materno quasi sopita à causis procatarcticis tandem excitatur & in actum prorumpit.

Hactenus de efficiente nunc de symptomate sub nomine causæ finalis pauca & breuiter sunt dicenda. Finalis versatur in facultatum læsione, excremētorum ametria & simplicibus corporis affectibus: facultatum læsio aut est absoluta aut comparata: absoluta in anorexia, apepsia, asphyxia, apnœa, anœa, paralysi, sterilitate, cæcitate, surditate: comparata in facultatis deprauatione aut remissione: deprauatur in cacotrophia, cachexia, citta, bulimia, dyspnœa, aborsu, delyrio, conuulsione, tremore, palpitatione, rigore, hor-

rore, tussi, sternutamẽto, pandiculatione, oscitatione, singultu, vomitu, ructu, strabismo, tinnitu & dolore. Remittitur bradypepsia, bradypnœa, mola, torpore partis aut mentis, vitio lusci vel surdastri.

Excrementorum ametria aut est in substantia, aut in quantitate, aut in qualitate: in substantia excretum aut retentum: excretum vt ramentum intestini in dysenteria, caruncula pulmonis, renis, hæmorrhagia, gonorrhæa, &c. Retentum, carculus, arena, vermis. In quantitate rursus excretum aut retentum: excretum, semen in gonorrhæa, sanguis in menstruis & hæmorrhoidibus, vrina in diabete, feces in diarhœa, sudor anglicus, &c. Retentum vt vrina in ischuria, dysuria, &c. In qualitate vrinæ nigræ, virides: deiectio item nigra aut viridis, sudor sanguinolentus aut viridis.

Simplices corporis affectus aut sunt Visibiles, sicut aurigo, fœdi virginum colores, cutis nigredo sub carbone & gangrena, rubedo sub phlegmone, flauedo sub erysipelate: aut Audibiles sicut intestinorũ rugitus, stertores, tinnitus, stridor dentiũ, suspiria: aut Gustabiles sicut oris amaror à flaua bile, acedo à melancholia, salsedo à pituita: Olfactibiles, fœtor corporis, ructus acidus, nidorulentus: Tractabiles cutis laxitas, durities, asperitas.

De Morbis. Cap. V.

MORBORVM differentiæ petuntur aut à subiectis partibus, aut ab ipsis adiunctis morbis: à subiectis partibus similaribus, organicis & communibus: morbi similaris partis fiunt à triplici genere intemperiei, videlicet simplicis aut compositæ, materialis aut immaterialis, æqualis aut inæqualis. Simplex intempe-

ries eſt calida, humida, frigida, ſicca: compoſita calida humida, frigida ſicca, calida ſicca, frigida humida: materialis cum ſanguine, pituita, aut alterutra bile: immaterialis phlogoſis & congelatio : æqualis vt febris hectica, quę eſt intemperies totius corporis: inęqualis, vt febris lipyria & epiala: ſub illa vruntur interiora, exteriora rigent, ſub hac pars vna rigeſcit, altera æſtuat. Morbi organici fiunt à vitio conformationis, numeri, magnitudinis & ſitus: conformationis vitia ſunt in meatu & cauitate, itidem in figura, aſperitate & lenitate : rurſus meatus & cauitatis vitia ſunt ex ſe aut aliunde: ex ſe quia meatus aut cauitas eſt anguſtior aut amplior: anguſtior, vnde obſtructio, à qua menſtrui, hæmorrhoidon, lotij, fecum & ſudoris ſuppreſſio, febris putrida, lenta, icterus vterque lienis & hepatis, apoplexia, dyſpnœa, atrophia, tabes, mors repentina. Amplior, vnde diarrhœa, lienteria, hæmorrhagia, alui fluxus, veſicæ diabetes, mictus ſanguinis, vterini menſtrui immoderatio, è ventriculo ſanguinis vomitio, è pulmone eiuſdem excretio : alterum conformationis vitium eſt in figura, figuræ verò à cauſa interna, cuiuſmodi ſunt monſtruoſi partus, aut à cauſa externa, qualis luxatio membrorum à manu obſtetricis: tertium conformationis vitium eſt partis aſperitas, qualis in cute callus, in trachęa alteria rugæ, vnde raucedo: quartum conformationis vitium eſt læuitas, qualis inteſtinorum, vnde lienteria adiuuante humore pingui & viſcido. Numeri autem vitia ſunt in exceſſu aut defectu: in exceſſu cuiuſmodi humores in plethora, membra in triorchis & ſedigitis, excreſcentia in capite velut cornu, in naſo polypus, in meatu vrinario caruncula,

runcula,

runcula, in cute verruca, in ano aut vtero condyloma, à quibus plerumque fit obstructio, ab obstructione morbus magnitudinis: in defectu mutilatio membri siue sit naturalis, siue sit è casu aut fortuna. Magnitudinis verò vitia sunt in augmento aut decremento: in augmento aut totius corporis, vt gigantea moles, qualis Nicomachi Smyrnei: aut partis, vt tanta linguæ magnitudo aut penis, quæ sit vsui incommoda: in decremento, vt corporis extenuatio, membri atrophia: à copia vel inopia materiæ vtilis vel inutilis, & facultatis robore aut debilitate. Situs denique, in membrorum & ossium luxatione: in quo genere strabismus, hernia ab humida intemperie, aut violento aliquo casu. Morbi communes fiunt à causis externis aut internis, velut fractura in osse, conuulsio in neruo, diuulsio in ligamento, excoriatio in cute, cõtusio in carne, vstio & vulnus in omnibus: à causis verò internis tumores, cuiusmodi phlegmone, erysipelas, œdema, scyrrhus, & ab iisdem compositi, phlegmone erysipelatodes, &c.

Morborũ diuisio ab adiunctis formis crisium theoriæ & menti Hippocraticæ magis consentanea est, ideo nobis discutienda in hunc proponitur modum. Morbus aut est in toto aut parte & in vtroque acutus, diuturnus, mixtus & ex metaptoseos. In toto acuta febris primaria est aut epiginomene: primaria in sanguinis phlogosi, vnde synochos prima, item in bilis concitatione, vnde synochos secunda, in vtriusque efferuescentia, vnde causos: epiginomene peripneumonię vocatur crymodes, hepatidi typhodes, stomachiti lipyria. In toto diuturna febris aut est rursus pri-

maria aut epiginomene: primaria in pituitæ putredine, vnde epialos & quotidiana, item in melancholiæ exuperantia, vnde quartana, denique in vtriusque permixtione, vnde quartana notha: epiginomene locis affectis, pulmonibus, iecori & lieni nondum sibi nomen peculiare inuenit. Mixta in toto aut est primaria aut epiginomene: primaria rursus aut est confusa in vno loco, aut implicita in diuersis: confusa in vno loco fit à sanguine cum pituita, vnde synochus putrida: aut eiusdem cum atra bile, vnde febris adhuc anonymos: eadem etiam cõfusa in vno loco fit interdum à permixtione bilis cum pituita, vnde elcodes, aut cum atra bile admodum perniciosa & adhuc sine nomine. Implicita in diuersis locis aut est intermittens cum intermittente, aut intermittens cum continua: intermittens cum intermittente aut est vnius ideæ aut diuersę: vnius ideæ duplex quotidiana, duplex tertiana, duplex quartana &c. diuersæ quotidiana cum tertiana, tertiana cum quartana, &c. Intermittens cum continua aut est rursus vnius ideæ aut diuersæ: vnius ideæ tertiana continua cum tertiana intermittente: diuersæ quotidiana continua cum tertiana intermittente. Epiginomene quarundam partium affectibus superuenit. Ex metaptoseos siue decidentia, quæ ex vno genere in aliud transit, sic acutus post vigesimum diem dicitur decidentiæ, post quadragesimum diuturnus, mixtus &c.

Hactenus de morbo in toto, nunc qui sit in parte dicendum. In parte acutus morbus aut internus est aut externus: internus rursus aut simplex est aut compositus: simplex fit à sanguine, vnde phlegmone, cuius

quædã ſpecies nomen ſibi inuenerunt angina, pleuritis, peripneumonia, ſtomachitis, hepatitis, nephritis, quædã nõ inuenerunt, venę cauæ, veſicæ, columellæ, & tonſillarum: aut à bile, vnde eryſipelas cuius ſpecies ſunt phrenitis, lethargus & reliquę ſine nomine ſpecies. Cõpoſitus fit ex phlegmone & eryſipelate, idque in partibus internis. In ſuperficie autẽ corporis producuntur à ſanguine bubones, parulis, parotis, carbunculus, furunculus, exanthemata, enchymoma & eius ſpecies: à bile phlyctides, herpes miliaris & exedens, impetigo, prurigo, &c. In parte morbus diuturnus aut eſt interior aut exterior: interior rurſus aut eſt ſimplex aut compoſitus: ſimplex à pituita, vnde œdema, caros, & aliæ ſpecies, quæ nomen peculiare nondum ſibi inuenerunt: aut à bile, vnde ſcyrrhus iecoris, lienis, vteri & multi alij. Compoſitus fit ex œdemate & ſcyrrho. In ſuperficie autem corporis à pituita producuntur ganglið, nodus, bronchocele, glandula, ſtruma mitior, vitiligo, ſcabies, fauus, achor: à melancholia ſtruma carcinodes, cancer, phagedena, verruca, thymion, lentigo, pſora, lepra. Mixtus in parte fit è confuſione quatuor humorum: ex metaptoſeos verò cum humores alij in alios degenerant, ſic pituita in ſerum, vnde aſcites, ſpiritus in flatus, vnde tympanites, &c.

De temporibus morborum & coctionis materiæ morbificæ. Cap. VI.

MORBVS omnis aut eſt abſolutè breuis aut longus, aut id comparatè: morbus abſolutè breuis in quo criſis, vocatur acutus, cuius duo conſiderantur tempora in genere, vnum ſecundum longitudinem, alterum ſecundũ latitudinem: longitudinis quatuor

ſunt partes, principium, incrementum, ſtatus & declinatio. Principium morbi ſumitur à primo febris paroxiſmo ſignatis die & hora. Incrementū deſignat paroxiſmi longitudo, horæ anticipatio, & ſymptomaton vehementia: ab hoc indicantur longitudinis & breuitatis termini, item futuráne ſit criſis in prima, ſecunda aut tertia ephodo, in ſtatu an paulò ante ſtatum, nam numero paroxiſmorum incrementi numerus ephodon ferè reſpondet. Statum indicat horę conſtantia, paroxiſmorum æqualitas, ſymptomaton tenor: in ſtatu criſis fieri conſueuit, ab eóque, quàm longè ſit abiturus, præuiſo dieta eſt auſpicanda. Declinationem demonſtrat horæ retardatio, paroxiſmi breuitas, ſymptomaton remiſſio: totáque morbi hiſtoria intra diem decimū quartum, aut vigeſimum, ad ſummum, ſi in principio non eſt valde acutus, abſoluitur: acutiſſimus quarto, peracutus ſeptimo, acutus ſimpliciter decimo quarto. Tempus ſecundùm latitudinem verſatur in periodis ſiue circuitibus, quorum vnus refertur ad conatum morbi, qui vocatur paroxiſmus, alter ad conatum naturę & vocatur ephodus à medicinæ magiſtris. Paroxiſmus eſt morbi inſultus, cuius partes ſunt ἐπισημασία, ἀνάβασις, ἀκμὴ, παρακμὴ, κατάβασις, διάλιμμα: in acme, ſeu paroxiſmi vigore, ſi vincatur natura, moriendum. Α'νεσις, vel remiſſio, eſt continuarum, ſicut ἀπυρεξία, vel intermiſſio, intermittentium, in quibus paulò pleniùs nutrire conuenit. Febres ferè omnes, quarum aliæ ſunt typicæ, aliæ erraticæ, ſuas habent periodos, item aſthma, arthritis, colicus dolor, cephalalgia, & cardialgia. Paroxiſmi anticipatio ſignum eſt irritatę naturæ, diuturnitas abſolutæ putredinis, vehementia abſoluti pepaſmi. Epho-

dos verò eſt naturæ ſtimulatio ad morbum ſuperandum partim lunæ reliquorumque ſyderum beneuola irradiatione, partim etiã coctæ plùs aut minùs materiæ motu. Lunæ irradiatione quaternionibus aut ſeptimanis: materiæ motu imparibus diebus ordinatè, paribus intempeſtiua criſis eruptione ab inordinato fluxę materię motu: in ephodo ſi vicerit natura bene ægro & proſperè agetur.

Coctionis materiæ morbificæ duo ſunt tempora, dies nempe indices & decretorij: indices coctionis ſunt 4. 11. 17. aut ſui intercidẽtes, nã in his ſigna coctionis morbum iudicandum fore in 7. aut 14. aut 20. aut ſuis proximis ante vel retro intercidentibus è morbi impetu & vehementia ſignificatur: cruditatis etiam, quæ ſymptomaticè tantùm mouetur in acutis aut per abſceſſum in diuturnis, quod vrina cruda & tenuis pariter coindicat. Decretorij ſunt excretionis, quæ fit in morbis eucritis, quales ſanguinei per quaterniones & hebdomadas, & bilioſi per dies impares, ſicut affectus in partibus dextris: dyſcriti verò ſeu mixti per pares, ſicut partes ſiniſtrę. Morbus ſimpliciter longus, in quo lyſis, vocatur diuturnus, à 40. die ad 100. in quibus vis dierum criticorum tantùm eſt conſpicua non vlteriùs, vbi opus eſt menſium & annorum numero. Morbus comparatè longus & breuis eſt decidentiæ, nempe à vigeſimo die ad 40. quia ſi conferatur cum acuto longus eſt, cum diuturno, breuis.

De ſignis. Cap. VII.

SIGNORVM ſumma genera verſantur in recordatione rerum non naturalium, quibus iam ante vſi ſumus: in cognitione partis affectæ, cauſæ morbifi-

cæ, & præsentis morbi speciei: in futurorũ euentuum prænotione à signis sphygmicis, pepticis & crisimis. Primum genus vocatur ἀναμνηστικὸν antiquæ consuetudinis aut nouæ viuendi institutionis: consuetudo autem est in vsu aut abusu ambientis aëris, loci & aquæ: item alimenti substantia euchymi aut cacochymi, qualitate eupepti aut dyspepti, quantitate sobrij aut genialis, ordine legitimi aut inuersi. Item in eductione aut retentione fecum, vrinæ, vomitus, sudoris, menstruorũ, seminis. Item in moderatione somni, vigiliarum, motus, quietis, & animi pathematon: his adde idiosyncrasiam & peculiares affectus. Noua viuendi institutio in promptu est. Secundum genus vocatur diagnosticon partis affectæ, causæ morbificæ & speciei affectus. Pars autem affecta deprehenditur situ ex anatomicis obseruationibus: affectu primò & per se, in quo temperamentum, conformatio, vsus, dignitas & situs sunt spectanda, aut per accidens siue cõsensum, in quo genere est affinitas, vicinia, operis societas, cõmunio vasorum, positiuè aut priuatiuè. Causa pariter deprehenditur externa ab assumptis, admotis, educendis, faciendis: interior antecedens ametriâ in excessu plethorâ, in defectu inanitione, item cacochymiâ in genesi aut metaptosi humorum: interior coniuncta fluxione aut congestione, fluxione per diadosin, metastasin, palindromẽ materię morbificæ. Morbus denique deprehenditur à subiecto aut adiuncto, subiecto quia similaris, organicus, aut communis: adiuncto, quia acutus, longus, mixtus, ex metaptoseos: item pars affecta, causa & morbus deprehenduntur à triplici genere symptomaton à posterio-

ri: sic simplices affectus indicant excretorum ametriam, ametria verò functionis læsionem, & contrà. Tertium genus vocatur prognosticon, quod maximè excoluit Hippocrates, vt non immeritò genus ex Appolline duxisse credatur, quem vaticiniis præfecit antiquitas. Perficitur autem hoc genus Simiotices signis sphygmicis, pepticis & crisimis: sphygmicis vires ægri inquirimus à pulsu & respiratione: pepticis magnitudinem morbi à fecibus, vrina, sudoribus &c. Crisimis salutem aut mortem à motu materiæ morbificæ secundum tempus in quo fit pepasmus, & speciem morbi, in qua excretio.

Sphygmicorum signorum differentiæ petuntur à motu, quem antecedunt quatuor, tria consecuntur. Antecedunt autem mouens, vitalis sc. facultas, à qua pulsus vehemens, languidus, mediocris: mobile, cor sc. & arteriæ, à quo pulsus mollis, durus, mediocris: spatium in quo fit motus, à quo pulsus magnus, paruus, mediocris: tempus circa quod systole & diastole, inspiratio & expiratio mensurantur, à quo pulsus tardus, velox, mediocris, à motus & quietis remissione vel intensione. Consequuntur verò proportio, æqualitas, & ordo. Proportio, quando vires ægri & morbi magnitudo proportionantur secundum naturam & ætatem. Sic morbus acutus proportionatus est iuueni bilioso, improportionatus seni pituitoso. Æqualitas, quando eiusdem generis pulsationes ęquales percipiuntur, vt si pulsus febricitantis velox singulis pulsationibus sit peręquè velox, magnus peræque magnus, & vehemens peræquè vehemens & sic in reliquis. Ordo,

quando seruatur series circuituum, vt si duo pulsus fiant magni, deinde duo parui, & sic deinceps per circuitus, huiusmodi quidem pulsus inæqualis est, sed ordinatus. Differentiarum autem causa efficiens vitalis est facultas, cuius cor & arteriæ sunt instrumenta: vsus siue finis reparatio vitalis facultatis, contemperatio caloris natiui, excretio fuliginis. Inter signa prognostica, ægri viribus cum morbi magnitudine comparatis, nihil æquè designat ac pulsus: nam vehemens & magnus robustam facultatem, sicut languidus & paruus debilem. Ita pulsus proportionatus, æqualis & ordinatus in bonis semper optandus, quia natura proportione, æqualitate & ordine recreatur: in malis verò præstat nihil horum esse, ne bene malorum constituto imperio status reipublicæ corporeæ faciliùs dissoluatur. Hoc genus prognoseos videtur Hippocrates neglexisse, aut frigidè excoluisse.

Pepticorum signorum differentiæ petuntur ab vrina, fecibus & sudore: differt autem fex à fece substantia, quantitate & qualitate. In substantia spectandum purane sit an impura: pura mollis est compacta, cohærens & subrufa: impura, cruenta, flatulenta, spumosa & vermicosa. In quantitate multa ne sit an pauca, frequens an tarda. In qualitate coloréne alba an nigra, flaua an pallida: in odore fœtida, horrenda an abominabilis. Differentiarum causæ petuntur à substantia, quantitate & qualitate: nam liquida fit frequentiore vsu liquidorum & chyli palindrome ab obstructione mesenterij: contrarijs causis feces indurantur. Copiosa fit à cibi quantitate, dyspepsia, deriuatione vrinę & sudoris: contrarijs causis parum deijcitur.

Qualitas

Qualitas ſpectatur in colore & odore: color fit alteratione aut permixtione alieni: alteratione, coctione videlicet, flaueſcunt, vſtione nigreſcunt, cruditate albeſcunt: permixtione alieni, chyli ſc. pituitæ, puris, muci, à quibus albeſcunt, ſanguine & bile rufa rubeſcunt, æruginoſa vireſcunt, atra nigreſcunt. In odore fœtor cruditatem & putredinem humorum ſignificat. Signa petuntur è præcedentibus differentiis: nam liquida & aquoſa præſertim in acutis mala, & quæ fertur præter ſenſum & voluntatem ægri. Spumoſa quoque mala, quia multum flatum aut magnum intus incendium oſtendit. Vermis cruditatis & putredinis ſoboles in principio morbi mortem aut morbi longitudinē portendit, idque maximè in magnis febribus. Pingues ſunt lethales, quia colliquari totum corpus indicant. Nigræ in morbi principio malæ, in̄ ſtatu aliquando criticæ. Verſicolores varios humores, morbique longitudinem portendunt, niſi tales ſint à catarctico. Inſigniter fœtidæ, niſi in vacuatione critica, nihil boni ſignificant.

Vrinarum differentiæ petuntur pariter à ſubſtantia, quantitate & qualitate. In ſubſtantia ſpectandum puráne ſit an impura: pura conſiſtentia eſt mediocris, colore citrina & clara, non naturalis contrà. Impura aut permiſcetur homogeneis aut heterogeneis: homogenea ſunt ſedimentum, eneorema, & nubecula: heterogenea ſanguis, pinguedo, pus, arena, furfur, caruncula. In quantitate paucáne ſit, an copioſa, frequens an rara eiuſdem profuſio. In qualitate color & odor: color, quia alba aut nigra. Ad albam aquea, palida & lactea, ad nigram rubra, viridis & liuida referun-

tur: citrina autem flaua & rufa mediæ ſunt. Odor fœtore indicatur. Differentiarum cauſæ petuntur à ſubſtantia, quantitate & qualitate: non eſt enim vna eademque cauſa conſiſtentiæ & contentorum in vrinæ ſubſtantia: nam conſiſtentia tenuis à cruditate & obſtructione producitur, quia ſolũ tenue percolatur craſſo remanente, quales ſunt hepaticorum, ſtomachicorum, & nephriticorum: contrariis cauſis vrinæ craſſeſcunt. Turbantur autem in matula aëris ambientis frigore, quæ ſi non admotæ igni clareſcant, confuſæ ſeu turbidæ nominandæ, quales in malignis febribus adeſſe conſueuerunt. Continentur in vrinæ ſubſtantia homogenea aut heterogenea: homogenea ſunt ſedimentum & eneorema: ſedimentum eſt in ſanis crudior alimenti portio puri analoga, alba, æqualis, vi caloris ſecreta, coacta & ſubſidens: at in ægris materiæ morbificæ portio, rubra ſanguineæ, flaua bilioſæ, nigra melancholiæ, inæqualis & diuulſa: eneorematis eadem eſt materia, quæ ſedimenti, & idem efficiens, minus tamen cocta, caloris debilis index, à quo non potuit de medio in fundum deturbari. Heterogenea ſunt ſanguis à venæ anaſtomoſi, diabroſi aut diapedeſi: pinguedo à calida renum intemperie aut totius corporis colliquatione: pus ab abſceſſu rupto aut vlcere renum aut veſicæ: arena à frigido cauſa materiali & calido cauſa efficiente: furfures à veſica ſcabioſa aut ſummo in ſanguine ardore: carunculæ ab vlceroſa renum intemperie. Cauſa quantitatis copioſæ à vini aut aquæ larga potione, dyſpepſia, diureticorum acrimonia, deiectionis & ſudoris deriuatione petenda eſt: paucitatis verò ab excretione criti-

ca aut ſymptomatica: nam criticè per ſudores tranſcolatur ſerũ, aut per deiectiones deriuatur: ſymptomaticè verò interdũ vacua eſt veſica aut plena: vacua ob conſumptionem extremam ſeri à calore præter naturam, aut propter obſtructionem renum & meatuum vrinariorum ad veſicam: plena nec ſe exonerare potis eiuſdem corpore refrigerato, aut collo tumefacto phlegmone, ſcyrrho &c. aut compreſſo à tumore vteri, longanonis, aut meatu conniuente aut obſtructo, conniuente à ſiccitate, vt in cauſo, aut exulceratione paraſtatæ oleoſo deficiente humore: meatu obſtructo carne fungoſa, callo, verruca, grumo, pure, pituita, calculo. Cauſa denique qualitatis petenda eſt ab alteratione & mixtione alieni: ab alteratione, nam coctione citrinus, vſtione niger, cruditate albus color euadit: à mixtione verò alieni, chyli, videlicet, ſeri, puris, ſeminis, pituitę & priuatione bilis vrinæ albeſcunt, bile flaua flaueſcũt, atra nigreſcunt. Odor cruditatis & putredinis ſoboles eſt. Ex his omnibus ſigna petuntur, primóque à ſubſtantię conſiſtentia & contentis: ſubſtantiæ conſiſtentia tenuis & aquea cruditatis & obſtructionis eſt ſoboles, atque in indicationibus principium morbi ſignificat, in acutis delyrium, in delyrio mortem, in diuturnis abſceſſum ſub diaphragmate: craſſa humorum conturbationem, capitis dolorem vel adeſſe vel futurum. Contenta aut ſunt homogenea aut heterogenea: homogenea poſitiuè ſignant aut priuatiuè: poſitiuè diuturnos morbos aut acutos: nam diuturni ſedimento multo ſoluuntur, eneorema infirmam naturam arguit, nubecula magis adhuc debilem: priuatiuè, quia morbi ſunt pe-

riculosi, in quibus neque sedimentum, neque eneorema, neque nubecula apparet. Heterogenea, qualis pinguedo innatans vrinis à corporis colliquatione, funesta sunt: arenæ albę in vesica, rubræ in renibus generantur. Secundò, signa petuntur ab vrinæ quantitate: nam copiosa sine causis manifestis morbus terminatur: pauca etiam sine causis manifestis mors in acutis portenditur, in diuturnis morbi longitudo. Tertiò à qualitate: nam colores siue per se sint, siue cum substantia, quemadmodum & odores, semper aliquid significāt: per se velut inter colores extremos, albus, qui cruditatem, niger vstionem, & qui ad illum accedunt, viridis summum incendium, liuidus caloris extinctionem: medij citrinus, subaureus & flauus coctionem. Cum substātia extremi aut medij: extremi albus & niger: nam albus cum tenui substantia cruditatē, obstructionem, bilem aliò raptam significat, cum crassa cruditatis & pituitæ dominatum, morbique longitudinem portendit: niger verò cum tenui substantia lethalis est, aut caloris vredinem eiusque extinctionem demonstrat: at cum crassa humoris criticus est melancholici. Medij autem, qualis ruber cum tenui substantia flammeus est, causon indicat & hepatidem, tandémque, si perseuerat, corporis interitum: cum crassa verò synochon & sanguinis phlogosin. Rufus idem penè, quod ruber, significat. Odores fœtidi vbique cruditatis & putredinis sunt indices.

Sudoris differentię, quemadmodum in precedentibus, à substantia, quantitate & qualitate petuntur: nam substātia purus est aut impurus: purus, cuius con-

ſiſtentia eſt mediocris (naturalis autem debet eſſe copioſus, generalis, calidus, rufus) impurus verò humore permiſcetur viſcido aut incinerato. Quantitate multus aut paucus (in quo genere eſt ephidroſis) generalis aut particularis eſt. Qualitate frigidus aut calidus, dulcis aut ſalſus, flauus, rufus, ruber, viridis, fœtidus, odoratus, criticus aut ſymptomaticus. Differentiarum cauſæ petuntur primò à ſubſtantia, cuius conſiſtentia tenuis à ſero tenuiore & crudiore promanat, quemadmodum craſſa à coctione aut humoris permixtione, viſcida à colliquatione aut humore viſcido, fiiabilis ab humorum aſſatione aut incineratione. Secundò à quantitate, quia ſudor copioſus fit à libera & geniali potione aut ſeri bilioſi exhalatione. Tertiò, a qualitate, quia calidus à calore febrili, frigidus à caloris extinctione, fœtidus ab humorum putredine: his adde ſymptomaticon, qui in principio morbi ſemper fit ab humorum morbificorum copia, aut virium exolutione. Signa, quæ ex his conſequuntur, ſunt huiuſmodi: ſudor frigidus aut in principio morbi ſuperuenit aut in vigore, ſi in principio morbi longitudinem ſignificat, ſi in vigore aut eſt ſyncopticus aut diaphoreticus: ſyncopticus virium exolutionem ſignificat: diaphoreticus in acutis mortis prænuncius eſt, in mitioribus longitudinis morbi.

Criſimorum ſignorum differentiæ petuntur à motu materiæ morbificæ, mouetur autem tripliciter natura, morbo & arte. Naturæ motus criticus eſt, fitque cum delectu materiæ morbificæ pepaſmi in tempore capacis, aut excretionis de loco. Morbi motus ſymptomaticus eſt ſine delectu & pepaſmo materię mor-

bificę, aut loci affecti refocillatione: in motu critico fit ἔκκρισις materię morbificæ, in ſymptomatico σήψις humoris benefici. Artificioſus ad imitationem naturę inſtruitur, coctione artificioſa materiam præparans, præparatam è loco affecto medicamentis deturbans. Duobus poſterioribus prętermiſſis ad motum criticum noſtra reuertitur oratio: in critico igitur humorum pepaſmus & excretio conſideranda veniunt, primóque pepaſmúsne tempore breui aut longo perficiatur & in vtróque tempúsne ſit vniuerſale principium, incrementum, ſtatus & declinatio in morbis: aut particulare, qualis ephodus in diebus criticis, aut periodus in paroxiſmis, quarũ alia eſt typica alia non. Secundò excretióne fiat de loco publico an priuato, publico cuiuſmodi eſt prima regio, in qua ſtomachus, lien, meſenterion, & venæ à porta: item ſecunda è iecore & venis à caua deriuata: poſtremò tertia è toto corporis habitu conſtans. De loco priuato ſeu de parte affecta, de quibus paulo inferiùs, vbi de omni excretione dicemus. Cauſæ critici motus ſunt lunæ cum reliquis ſideribus beneuola irradiatio: naturæ ſeu calidi innati efficientia: item materia eupeptos. Cauſa verò ſymptomatici motus eſt morbi magnitudo, materiæ orgaſmus, & caloris naturalis impotentia. Denique artificioſi motus cauſa eſt medicamẽti cum calore naturali conſpiratio, materiæque debita præparatio. Signa petuntur è præcedentium conſideratione in diebus indicatorijs & decretorijs: nam in indicatorijs futuræ criſis præludia in coctione fecum, vrinarum & ſudoris apparent: item ijſdem diebus ephidroſis, ſanguinis è naribus ſtillæ, parum ſputi co-

cti, vrinæ hypostasis cocta, leuis, miniméque diuulsa diebus decretorijs futuram crisin denunciant. In diebus autem decretorijs, quæ corporis regio sit materia morbifica exoneranda ex ijs, quæ sequuntur, facilè percipietur: nam si prima regio exoneranda est vomitu, præcedet labri inferioris motus, vertigo tenebricosa, visus deprauatio circa obiecta, viscerũ conuulsio: si alui solutione, onera ventris, murmura intestinorum, punctiones permeantes morbum breui iudicandum fore prænunciant. Secunda regio exoneratur causa morbifica sanguinis profluuio aut vrinarum effusione: sanguinis profluuio per hæmorrhagiam aut menstrua: hęmorrhagiam præcedunt viscerum conuulsio, splendoris in oculis obuersatio, item pulsus magnus & vehemens: menstrua imminens menstrualis periodi terminus, vrinæ rubræ & ferè cruentę. Tertia regio exoneratur sudoribus: sudores præcedũt cocta vrinæ sedimenta, quæ sublimius feruntur, item icterus criticus, vrinę fuluæ, deiectiones pallidę. Hactenus de excretione critica è loco publico & ad tempus, satis superque compendiosa breuitate dixisse mihi videor: nunc qualis sit è loco priuato & ad speciem morbi, quísve eius finis & exitus, videndum.

De excretionibus. Cap. VIII.

EXCRETIONIS materiæ morbificæ ad speciem morbi & de loco priuato duplex est genus eccrisis & metastasis: in eccrisi cocta est materia, in metastasi verò coctionis contumax. Eccrisis igitur perficitur deriuatione per loca naturę commoda, siue humor sit catarrhopos siue anarrhopos: quemadmodum metastasis reuulsione per loca incommoda siue humor intrò vel

extrà ſe conuertat. Materia autem morbifica deriuatur in eccriſi per primam corporis regionem, ſi fuerit anarrhopos oris expulſione, vomitu ſc. aut ſputo: vomitu bilioſo, quo cauę iecoris partes exonerantur, febris ardens & tertiana iudicantur, quemadmodum pituitoſo quotidiana. Sputis thorax & pulmones expediuntur, pleuritis curatur. Si materia fuerit catarrhopos, alui ſolutione bilioſâ deijcietur, è bile flaua hepatis cauæ partes exonerabuntur, febris ardens & tertiana curabuntur, è bile verò atra quartana ſoluetur. Solutione autem alui pituitoſâ quotidiana ceſſat, bilioſâ & pituitoſâ ſimul hæmitriteos, lethargus, reliquíque ſimiles corporis affectus diſcedunt. Deriuatur etiam materia morbifica in eccriſi per ſecundam corporis regionem ſi fuerit anarrhopos hæmorrhagia, qua cauſos, phrenitis, & aliquando pleuritis, item lienis & hepatis & reliquæ ſub præcordijs inflãmationes ſoluuntur, à dextra quidem nare καὶ ἴξιν patiente iecore, è ſiniſtra liene cum locis vicinis. Si autem humor fuerit catarrhopos menſtruis, hæmorrhoidibus & vrinis viſcera liberabit: menſtruis, iecur, lienem, vterum, fœdi virginum colores febreſque ſymptomaticas: hęmorrhoidibus quartanas reliquóſque lienis affectus: vrinis copioſis iecoris conuexas partes, loca renibus & veſicæ propinqua. Eadem quoque materia deriuatur in eccriſi per tertiam corporis regionem ſudore, ictero, & horrore: nam ſudoribus multis & calidis ex vniuerſo corpore diffluentibus omnes febres in genere iudicantur, ictero & horrore ſummo continuæ. Hactenus de eccriſi, nunc de metaſtaſi.

Metaſtaſis materiæ morbificæ fit reuulſione eiuſdem

dem per loca incommoda siue humor intro vel extra se conuertat: extra conuersus ἐπιφάνης est, sicut intro κρυπτὸς: epiphanes rursus aut calidus est aut frigidus: calidus per anaclisin fertur ponè aures sicut parotides à sanguine, aut ad cutem, velut icterus & erysipelas à bile. Frigidus per cataclisin in virtute debili ad adenas, circa alas & inguina, vbi bubones febri epiginomeni, cæteraque ἀποσκέμματα in virtute forti ad articulos femoris, tibiæ, pedum, humeri, brachij, manus, vnde chiragra, & pedis, vnde podagra. Intro conuersus humor cryptos est, in quo genere sunt ἀποςήματα nouum à crisi morbi genus, periculosum, iterumque iudicandum tanquam acutum. Excernitur autem huius materia purulenta per vrinas aut deiectiones è natura loci & partis affectæ. His omnibus communis est palindrome, anadrome, anastrophe à fronte & à tergo, sursum deorsum, à dextris à sinistris.

Qua de causa omnis excretionis motus secundum terminum à quo & ad quem, excreti ideam, & quantitatem perpendendus est: sanguinis autem in primis (qui propriè hæmorrhagia) fertur è naribus aut palato: è naribus per venas iugulares, nam dextra in dextrum, sinistra in sinistrum durioris membranæ sinum sanguinem effundunt. Ex horum sinuum syndrome tertius enascitur, qui per suturæ sagittalis longitudinem excurrens ad narium extrema fertur. Ab hoc venę quam plurimæ, item venæ carotides, per quas hæmorrhagia, diuaricantur. Per palatum autem excernitur diapedesi in os & fauces. Secundò, sanguis excernitur è thorace illic profluens per venas azygos, mammarias & intercostales in pleuritide: è pulmone

per venam arteriosam in phthisi: è faucibus & larynge per ramulos à iugularibus & carotidibus ortos. Tertiò, vomitu in ventriculum profluens per supremum ramum splenicum, aut è iecore per venam portam, aut è liene per breuem venam à summo prope lienem ramo ad ventriculi fundum pertinentem. Quartò, deiectione cruenta aut hæmorrhoidali: cruenta è iecore per venas mesaraicas in intestina, aut diapedesi à ventriculo deorsum: idem esto iudicium de liene quod de iecore. Hæmorrhoidali interna, è ramo splenico venæ portæ per mesenterium circa colon & intestinum rectum extensa, terminataque in musculis ani & intestino interiore, cui occurrit circa lumbos arteria: hac lien & prima corporis regio cacochymia liberantur. Hæmorrhoidali externa vlterius ad cutim vsque è vena caua triplici diuaricatione cum suis arterijs pertinente: hac hepar totáque secunda corporis regio plethora exoneratur. Quartò, mictu critico aut symptomatico: critico per hæmorrhoidas è cauæ ramo crurali siue iliaco excurrente in vesicam, pudendum & vterum: symptomatico, si modicè fluat, ex vreteris, si verò largè, è renibus aut è musculis vesicatorijs, è renibus fluens vrinæ miscetur, è musculis matulæ fundo grumescit. Quintò, menstruis ex vtero per crurales in ceruicem vteri: per cotiledones in fœtus vmbilicum. Postremò mulsione è papillis per cõsensum mammarum cum vtero. Lac educitur per papillas, vterum & vesicã, quod priùs mammæ è mammaria vena attrahentes in candorem verterunt: nam mammę nutriuntur sanguine, qui per thoracicam accedit non per mammariam. Puris deriuatio est occul-

ta, quæ è corporis habitu, thorace, pulmone, corde, hepate in veſicam profluit: manifeſta è renibus, vretere, veſica & pene. Immixtum vrinæ & grauiter olens veſicæ vlcerationem ſignificat: mixtum æqualiter nec olens pulmonum ſuppurationem: inæqualiter, remiſſè olens renum vitium. Aquæ deriuatio manifeſtè ab hepatis caua per venas meſaraicas in inteſtina, à gibba per emulgentem in veſicam: à liene per venas omento diſſeminatas in inteſtina, per arterias in veſicam. Occultè ab abdomine in inteſtina & veſicam: à regione ſecunda in pectus & pedes: à tertia per anaſtomoſin in habitum, vnde anaſarca.

Excreti autem ſanguinis, lactis, puris, aut aquæ idea non parum ad effecti loci cognitionem conducit ratione contentorum, non ſecus ac venæ aut arteriæ, ventriculi, veſicæ, & vteri ratione continentiũ: quapropter in primis idea excreti aut motio perueſtiganda eſt, cuius rei proponitur ſanguis in exemplũ: nam è cerebro illapſus ſine ſpuma eſt: è thorace emergens paucus, niger, grumoſus cum tuſſi & dolore, vnde pleuritis: è pulmone ſpumoſus, purpureus, multus, ſine dolore, ſed cum tuſſi. In phthiſi & peripneumonia mittendus ſanguis, in pleuritide cautè, ne frangantur vires: è faucibus & larynge paucus, ſyncerus, cum tuſſi & dolore. E ventriculo non prodit conglomeratus. In ſuppreſſione menſiũ fertur è naribus cũ thrombis, vt in deiectione cruenta. Motio excreti aut eſt ſubſtantiæ, qualis hæmatoſis, aut quantitatis ſicut plethora, aut qualitatis ſicut metaptoſis vnius humoris in alium, aut denique ad locum, in quo genere eſt metaſtaſis, palindrome, diadoſis. Continentium affectio-

nes ſint diabroſis, anaſtomoſis & diapedeſis: item conſenſus generis ſimilitudine, operis ſocietate, vaſorum cõmunione: ſic fœtus alligatur cotyledone vmbilico, cotyledon vtero, vterus venis epigaſtrij, venæ epigaſtrij mammillaribus, mammillares rurſus papillis, è quibus infans recens natus lac prolectat.

Excretorum quantitas aut eſt moderata aut immoderata, cuius rei proponitur menſtruum in exemplum. Menſtruum igitur aut moderatè excernitur aut retinetur: excernitur ante conceptionem purgationis gratia, poſt conceptionem non tam excernitur, quàm in aliàm naturam ſe transfert, dum primò in typoſin embryi feminei per xxxv. maſculei per xxxxv. dies ſe transformat, reliquum tempus in alimentum. Ante conceptionem fluxus & copia ſunt ſpectanda: fluxus periodicus menſtruorum eſt xxviiij. paroxiſmus mulieroſiſſimis vij. mediocribus v. viraginibus iij. dierum: copia ad heminas duas atticas, id eſt, ad libras ij. ferè per crurales ad ceruicem vteri excernitur. Retinentur autem pro maſculo, auctore Hippocrate, ſanguinis libræ xxij. pro femella xxx. per cotyledones in fœtus vnbilicum transfuſæ, cuius rei fidem faciet, qui lancibus infantẽ recens natũ cum aquis & lochiis appendet. Immoderata excretio aut eſt diminuta, deprauata, aut abolita: diminuitur venarum anguſtia & obſtructione, item ſanguinis craſſitie & frigore: deprauatur è modo fluendi & tempore: è modo, quia guttatim vel ἀθρόως, ab hoc cachexia, hydrops, paralyſis, è tempore, quia citiùs vel tardiùs præfinita periodo: aboletur aut ad tempus aut ad ſpeciem morbi, ad tempus, ſi tres ad minùs aut ſex longiùs menſes

menſtrua defecerint, ad ſpeciem morbi, ſi menſtrua vtero hęreant, fit febris, phlegmone, eryſipelas, ſcyrrhus. Si transferantur in caput mania & apoplexia: ſi in thoracē pleuritis, peripneumonia, phthiſis, angina: in crura, pedes, & coxas, emphyſema: in habitum, anaſarca. Idem iudicium eſto de hæmorrhoidibus. Cauſæ maximè omnium efficientes tam multiplicis hæmorrhagiæ, de qua ſuperiùs, ſunt ſpiritus naturales, inde plethora à ſuppreſſis menſibus, hęmorrhoidibus, mēbri mutilatione, iecoris imbecillitate, renum potentia, vaſorum amplitudine, calculi attritu. Finis ſiue vſus ad ſalutem aut ad mortem.

De Remediis. Cap. IX.

REMEDIORVM legitima adminiſtratio therapeutice nominatur, cuius partes ſunt ſcopi & inſtrumenta. Scopus autem perficitur contrariorum vſu in morbis, & ſimilium in ſanitate. Contrariorum vſu tollitur cauſa morbifica, ſimilium verò ſanitas conſeruatur, vnde non immeritò Hippocrates definiuit medicinam ablationem & adiectionem ad therapeuticen proſpiciens. Ablatio fit remotione cauſæ euidentis & eductione cauſæ abditæ: remouetur autem cauſa euidens abſtinentia & cautione: abſtinentia eſt aëris peſtilentis, cibi cōcochymi, aquarum corruptarum, ſomni & vigiliarum immodicarum, otij & laboris immodici, excretorum, retētorum, & perturbationum in modo peccantium. Cautio verò eſt in occurſu fortuitorum, telorum, ferarũ, ruinę, pręcipitij, veneni. Educitur cauſa abdita antecedens phlebotomia in plethora, purgatione in cacochymia: cauſa vero abdita coniuncta partis corroboratione, quæ intemperiem aut corru-

ptionem aut aliud huiusmodi senserit. Adiectio fit admouendo causas sanitatis effectrices aëra bonum, alimentum eupeptum, aut euchymum & cæteras res nõ naturales vsu & experientia comprobatas, ad quam rem comparandam non inutilis erit naturæ idoneorum electio. Item inducendo pro plethora humorum mediocritatem, pro cacochymia eorumdem bonitatem, in parte temperiem, in toto sanitatem. Hæc de scopis in genere.

Instrumenta autem sunt triplicia dieta, chirurgia & medicamentum: dieta rursus triplex φάυλη, ὑποφάυλη, ἀκριβής. Φάυλη est quælibet facilis ac vulgaris nec magni negotij dieta, simplex, súsque déque habita, quæ modò salsis vel insipidis, modò assis vel elixis vtitur: aut cum modò saturi aut semisaturi è mensa aut ad mensam recedimus aut nos recipimus. Ὑποφάυλη siue μετρίη media inter accuratam & vulgarem, quæ ptisana, oleribus, piscibus, cucurbitula, & obsoniis liquidis constat, non valida naturâ sed vulgaris, attamen cum delectu, vt si tantùm bis in die cibum capiamus, si semisaturi demensâ discedamus. Ἀκριβής seu σκέλεα debetur acutis, cuius triplex est genus: primum, tenuis simpliciter, quæ debetur illis morbis qui in decimum quartum diem, vel etiam illis, qui ad quadragesimum ἐκ μεταπτώσεως appellati, excurrunt, ptisana his integra dicata est. Secundum genus, magis tenuis, præscribitur illis, qui septimo die suam absoluunt historiam. Hæc vtitur melicrato, oximelite & succo ptisanæ. Tertium genus, exquisitè tenuis, debetur his morbis, qui quarto die finiuntur, & quibus omninò abstinendum est à quocunque cibo & potu. Alterum therapeutices

instrumentum versatur in manuum operatione, quæ modo disiunctas partes contra conuenientem naturæ statum adducit, modò coniunctas diuidit, modò res noxias in corpus immissas aut genitas extrahit. Postremum medicamentum est simplex aut compositum: ad simplex pertinent, quæcunque in hac elementari regione continentur: ad compositum, quæcunque chymiâ & pharmacia perficiuntur, quibus postremis supersedeo ne in immensum crescat oratio.

De Methodo Hippocratica. Cap. X.

ARISTOTELES septimo Topicorum, post Platonem in Sophista, scribit, vnum esse è principiis humanæ sapientiæ rerum dissimilium similitudines & similium dissimilitudines cognoscere: cognoscuntur autem arte & Methodo distributiua, quam rursus ipse Plato in Philebo scripsit esse donum Deorum, vnâ cum Promethei lucidissimo igne in terra demissum. Vnde cum tres sint præcipua rationis instrumenta definitio, diuisio & syllogismis, his omnibus antecellere diuisionẽ non est dubium, sine ea etenim nec genus nec differentia statim, quibus opus est ad definitionem moralem, in mentem veniunt: neque etiam materia & forma, per quas physici res naturales definire solent. Cum autem propositiones: quarum structura cõstat syllogismus, sint alię κατ' παντὸς, alię καθ' αὑτὸ, nec aliunde cognosci possint post simplicem rerum apprehensionem, quàm diuisione singularum à confuso genere, vt aliquid certi, similia similibus, dissimilia dissimilibus & similia dissimilibus comparando, coniungendo & separando concludamus. Pari ratione neque Methodus sine distributione constare po-

eſt ſiue per κατάβασιν feramur à genere ad ſpecies, à ſpeciebus ad res ſingulas, aut à toto ad partes, à partibus ad eleméta cæteraque ſenſibus abſtruſiora, ſiue rurſus per ἀνάβασιν aſcendamus à rebus ſingulis ad ſpecies, à ſpeciebus ad genus, ſiue ab elementis ad partes, à partibus ad totũ. Vt autẽ iſta exemplo illuſtrẽtur, ſit nobis propoſita ea animi perturbatio, quã iram ex ſimplici eius apprehẽſione vocamus, velimuſque eã definire: primò, genere opus eſt aut materia: ſecundò, differentia aut forma, quę non aliunde petũtur, quàm ex quarto ordine qualitatum, cuius ſanè ſunt perturbationes animi, dicemuſque iram eſſe perturbationem animi: at quia plures ſunt perturbationes animi, propriam iræ diſtinguemus ab alijs, ſi addamus cum libidine vlciſcẽdi. Similique modo medicus ſucco pro materia, & contẽto pro forma, iram definiet, ſi dixerit eam eſſe in corde ſanguinis efferueſcentiam, quæ definitio parum recedit ab ea, quę de febre ſolet efferri ſynocho appellata, niſi quod ira furor breuis eſt, facile ſpiritũs incendens, vnde ephemera, ab ephemera ſynochos, à ſynocho hectica per cauſarũ & morborũ metaptoſin. Pari ratione ſi effatũ illud, ira debet parere rationi, velimus ex præceptis moralibus concludere, à diſtributione appetitũ inueniemus medium: nam cum ſint duo appetituum ſumma genere rationale & brutale ex vtroque compoſito hanc eruemus propoſitionem: omnis appetitus brutalis debet parere rationali; ira eſt appetitus brutalis, ergo ira debet parere rationi. Rurſus ſi effatum illud, ira eſt effectrix morborũ, velimus ex præceptis phyſicis concludere, à diſtributione affectuum inueniemus medium: nam cum ſint duo

affectuum cordis summa genera lene & violentum, altero seiuncto hanc eruemus propositionem: quicquid violenter cor afficit, est efficiens morbi: ira violenter cor afficit: ergo ira est effectrix morbi. Minor non indiget probatione, quia sensibus confirmata, qui nisi sint veri, vt inquit Lucretius, ratio quoque falsa fit omnis. Quare cum ratiocinandi via ex distributione pendeat, non mirum videri debet, hanc ex sententia Platonis donum Deorum esse, eiusque gratia Aristotelem suos libros de demonstratione analyticos appellasse. Eo quoque animo Hippocratem fuisse in simplici rerum appræhensione certum est, exactáque rerum distinctione singula in suas classes digessisse, vt demonstro, ex quibus velut præmissis aphorismos concluserit.

Quare Aphorismorum ordo ea conscriptus est methodo, & si prima fronte lectorem fugiat, quam nemo alius verbosæ orationis philosyntomos in tam multiplici rerum explicatione & dispositione posset assequi: tantùm abest, vt nulla sit methodus ab Hippocrate obseruata, dum Summam medicinæ in Epitomen contraheret, quum & pro simplici, quam tantopere efflagitant, quintuplicem illis subiecta synopsi demonstramus mirabili causarum, morborum, signorum, excretionum & remediorum consecutione, è quibus, velut locis, singulas sectiones ita disposuit & contemperauit, vt nulla sit, quæ non causæ morbi, signi, excreti & remedij aliàs aliter sine molesta rerum repetitione doctrinam contineat.

Quoniam verò finis theoriæ est cognitio, praxeos verò cognitionis executio, parum videbatur Hippo-

crati, si post tam multiplicem rerum cognitionem ille curandi morbi methodum non instituisset, ideóque qua ratione id faciendum quinque in locis docet, quorum primus est in prima sectione pro acutis: secundus in secunda ab aphorismo xxviij. ad finem eiusdem pro morbis è decidentia: tertius à principio quartæ vsque ad xx. pro morbis dubiis: quartus ab aphorismo 64. quintæ ad finem vsque pro locis affectis: postremus ab aphorismo 59. ad finem vsque septimæ pro affectibus epiginomenis, qui licet quintuplicem methodum instituerit pro ratione diuersorum affectuum, nihil tamen supra Epitomes breuitatem repetit, nihil etiam eorum, quæ ad generalem rerum cognitionem pertinent prætermisit: quamuis aliàs aliter sit visum nonnullis, qui aphorismos tanquam folia Sybillæ mandatos, multísque in locis imprudenter repetitos, cuiusmodi secundum primæ sectionis cum vltimo affirmant: item vndecimum cum decimo nono eiusdem: rursus primum quartæ sectionis cum vigesimo nono quintæ. Sed quod ad primam abiectionem attinet, Hippocrates nihil aliud significare voluit, quàm debitam præmissorum aphorismorum conclusionem in hunc modum: si medici ministerium instituatur ad naturæ imitationem, quæ cruda coquit, cocta excernit, conferet corpori sanitatem, sin minùs cõtrà: Atqui à secundò aph. ad vltimũ vsque docetur, quibus modis ad naturæ imitationem medici ministerium instituatur, vt cruda coquantur, cocta excernantur: Ergo si qualia purgari debent, purgentur, conferet, sin minùs contrà. Præterea non est eadem ratio vndecimi cum decimo nono: nam cùm

ſit duplex periodus, ſiue circuitus, vna morbi, in qua cauſa morbifica conatur naturam, ſymptomaton ingruente violentia obruere, quæ vocatur Paroxiſmus: altera in qua natura nititur morbum ſuperare, ad id conſpirante auxiliari medicorum manu, quę vocatur Ephodus, nec liceat in paroxiſmis obſeſſam naturam à ſuipſius defenſione, nec in Ephodis ab expugnatione, quam contra morbum inſtituit, ad ciborum coctionem reuocare, non mirum videri debet, ſi Hippocrates duplicis periodi alteram partem in vndecimo, alteram in decimo nono rejecerit, ita poſtulante rerum & verborum ſerie: idem planè iudicandum de primo aphor. quartæ ſect. & vigeſimi octaui quintę: in quarta enim eo vſus eſt tanquam familiari exemplo cautionis, quam debet habere medicus in quauis perſonarum conditione, in quinta verò eo vſus eſt è re nato, vt ſuis locis videbitur, atque ita in cęteris repetitis intelligetur.

Itaque Hippocrates medicinā ablationem vel adiectionem definiens, nomine ablationis cauſam & morbum, quæ è corpore cedunt excretione, & indicantur ſignis: additionis autem remedia ad triplicis ſubſtantiæ conſeruationem aut reparationem intellexit, atque ita mutuis nexibus colligauit, vt nulla ſit ſectio, in qua cauſæ, morbi, ſigni, excretionis & remedij non eluceat tacitè vel expreſsè tam pręclara per ordines diſpoſitio, vt vnum ſine altero vix ſeiungi potuiſſe dicere queas. Ne autem vanis rerum ambagibus videamur propoſitū confeciſſe negotium, ſequētem ſynopſin ereximus, in qua quintuplici rerum & verborum diſquiſitione generalē medendi methodum

ab Hippocrate obſeruatam omnibus tamen retro ſæculis inauditam demonſtramus, eámque per ſingulos aphoriſmos rimando ad Hippocratis & Galeni, ceterorumque poſt Hippocratē & Galenum principum medicorum mentem peruenimus, qui methodi huius licet inſcij, ſcitè tamen hanc naturâ duce in commentarijs ſuis indicarunt, ne nos credas ſine auctoribus Hippocratem inuitum ad ſenſum noſtrum perduxiſſe.

(∴)

SYNOPSIS ENARRATIONIS, quæ tanquam regula Polycleti ſeptem aphoriſmorum ſectionibus accommodatur, atque è rerum varietate ſingularum argumenta multipliciter oculis ſubiicit, nam:

- Cauſa
  - Efficiẽs
    - Procatarctica vitio
      - Dietæ
        - Vigentem morbum inducit praua victus ratione. *ſectione I.*
        - Superatum recidiuum facit materia ſuccreſcente aut ſuperſtite morbifica. *ſect. II.*
      - Spiritus, in quo mutationes tẽporum & ætatum criſin promouent, aut interturbant, aut nouos morbos procreant. *ſect. III.*
    - Interna
      - Antecedens, humorum ametria, plethora, inanitio, cacochymiæ geneſis, *ſect. IV.*
      - Coniuncta, effuſio cacochymiæ aut plethoræ ad aliquod membrum diadoſi, metaſtaſi, palindrome, cohibitione eiuſdem in parte, quam occupauit, vnde partis robur aut infirmitas ſpectatur. *ſect. V.*
  - Finalis.
    - Partium intemperies, formæ corruptio, materiæ ametria. *ſect. VI.*
    - Functionum læſio, excrementorum immoderatio, ſimplices corporis affectus. *ſect. VII.*

Morbus

- Acutus qui distinguitur ratione
  - Status
    - In humore, in biliosos aut sanguineos, qualis vtraque synochus, causus, &c.
    - In parte, in phlegmonen aut erysipelas, qualis pleuritis, phrenitis, peripneumonia, lethargus, &c. *sect. I.*
  - Decidẽtiæ
    - In superstite materia ab imperfecta crisi, ita ephemera degenerat in synochon, synochos in hecticen: pleuritis in tabem: apoplexia in paralysin.
    - In succrescente materia, qualis recidiuus morbus, &c. *sect. II.*
- Dubius qui distinguitur ratione
  - Temporum & ætatum, in acutum, longum, & mixtum. *sect. III.*
  - Humorum, in febres continuas, intermittentes, confusas aut implicitas. *sect. IV.*
  - Partium, in similarem, organicum & communem. *sect. V.*
- Epigignomenus, qui distinguitur ratione
  - Causæ superuenientis vitio dietæ aut aëris, qualis intemperies frigida cerebri, ex intẽperie læsio facultatis concoctricis & excretricis, ex vtriusque læsione catarrhus. *sect. VI.*
  - Effectus superueniẽtis vitio retẽti, qualis epilepsia à catarrho obstruẽte interiores ventriculos cerebri, aut vitio excreti, quale asthma catarrho illapsa in pulmones. *sect. VII.*

Si-gnũ
- Crisimũ
  - In Perfecta excretione, Euphoria. *sect. I.*
  - In imperfecta, Dysphoria. *sect. II.*
  - Vtriusque promotio aut remoratio temporum & ætatum conditione. *sect. III.*
- Pepticũ.
  - Quale obseruatur in fecibus, vrina, & sudore secundum substãtiam, quantitatẽ, qualitatem & tempus. *se. IV.*
  - Quale obseruatur in sputo, pure, mẽstruo, hæmorrhoide, & aliis excretis, quatenus partis continentis affectum indicant. *sect. V.*
- Sphygmicum frigidè excoluit Hippocrates, pro quo substituenda sunt signa pathognomonica à priori & posteriori. A priori, siue à causa ad morbum, siue à morbo ad symptoma progredimur. *sect. VI.*
- Contrà, à posteriori, videlicet, à symptomate ad morbum & à morbo ad causas. *sect. VII.*

- Excretio
  - Critica
    - Perfecta, in qua vi naturę materia morbifica excernitur ſecundum tempus & ſpeciem morbi. *ſect.* I.
    - Imperfecta, in qua materia morbifica ſuperſtes eſt, aut prauo ſuccreſcit victu. *ſect.* II.
    - Opportunitas temporis anni & ætatum ad promotionem aut detrimentum criſium. *ſect.* III.
  - Artificioſa
    - Vniuerſalis, quę ad naturalis ſeu criticę imitationem & ad ſymptomaticæ cautionem refertur, & quæ cauſam antecedentem tollit è publica corporis regione. *ſect.* IV.
    - Particularis, quæ eccriſin imitatur cauſam coniunctam è ſingulis corporis humani partibus arte remouendo. *ſect.* V.
  - Symptomatica
    - Cauſæ antecedentis, quando euacuantur, quæ euacuari non debent, cruda pro coctis, anarrhopa pro catarrhopis, foras vel intro, per loca incommoda & contrà. *ſect.* VI.
    - Cauſæ coniunctę, quando pars affecta humoris morbifici naturam induta corrumpitur, corruptionémq; fluore ſyntetico teſtatur. *ſect.* VII.

- Remedium
  - Dieta
    - Abſumendo inedia materiam morbificam vigente adhuc morbo, & quæ ſint inediæ conditiones. *ſect.*I.
    - Reficiendo vires ægri morbo iam ſuperato, & quæ ſint refectionis leges. *ſect.*II.
    - Opportunitas inediæ & renutritionis ſecundum tempora anni & ætates ægri. *ſect.*III.
  - Pharmacia
    - Educendo cauſam antecedentem purgatione ad exemplum excretionis naturalis, vbi de cautione in omni excretione ſymptomatica. *ſect.*IV.
    - Digerendo & reſoluendo cauſam coniunctam, vbi de topicorum vſu. *ſect.*V.
  - Chirurgia.
    - Reuellendo materiam morbificam indicatione ſumpta à priori, ideſt, à motu cauſæ antecedentis ad locum affectum. *ſect.*VI.
    - Deriuando indicatione ſumpta à poſteriori, id eſt, à coniunctione materiæ morbificæ in parte affecta. *ſect.*VII.





METHODI HIPPOCRATICÆ E REGVLA POLYCLETI AD LESBIAM Recursus in quo præcedentis Synopseos res distinctæ per capita in singularum sectionum argumentis mirabili ordine permixtæ iam delitescunt.

IN prima, agit Hippocrates de causa efficienti procatarctica vitio dietæ, quæ antecedentem in humores & coniũctam in partes inducit, vnde morbi acuti, synochos, pleuritis &c. ad quos crisis propriè refertur, cuius finis & expectatio est euphoria, si perfectè & vi naturæ materia morbifica excernatur secundùm tempus & speciem morbi. Quare remedia maximè debent à dieta institui, cùm inediâ partim materia morbifica absumatur, partim etiam coquatur ad faciliorem naturæ efficientiam.

In secunda de materia morbifica superstite aut succrescente & de degeneratione eius, vnde morbi decidentiæ & recidiui, quorum imperfectam crisim testatur dysphoria & virium exolutio. Reficiendæ sunt igitur vires certis legibus, quas hîc Hippocrates commemorat.

In tertia de caufis procatarcticis à vitio fpiritus, item ab ætatum & temporum conditione, quæ crifin promouent aut interturbāt in acutis,quorū eft crifis, & in longis, quorum eft lyfis, aut ex vtrifque mixtis. Opportunitas igitur inediæ & renutritionis captanda eft à tempore anni & ætate ęgri, tam in morbis longis quàm mixtis aut acutis.

In quarta agit de caufa antecedente plethora, videlicet, & cacochymia humorum, vnde febres continuæ,intermittentes, cōfufæ aut implicitæ oriuntur: humorum autem cacochymia obferuatur in fecum, vrinæ, fudoris cæterarumque excretionum cruditate aut coctione, quibus debetur vniuerfalis purgatio ad imitationem naturæ,& cautionem fymptomaticæ fecundum ægri vires & magnitudinem morbi.

In quinta, de caufa coniuncta,effufione fcilicet cacochymię aut plethorę ad aliquod membrum diadofi, metaftafi, palindrome, cohibitione eiufdem in parte quā occupauit, vnde triplex morbi genus emergit, partis fimilaris, organicæ & communis: partis autem robur aut infirmitas fpectatur in coctione aut cruditate excreti particularis,fputi, puris, feri, menftrui,hęmorrhoidis,quatenus vitium partis affectę detegunt. Excernitur autem artificiofa molitione ad exemplū naturalis eccrifeos compofita: tum etiam medicamentis appofitis ad digerendam aut refoluendam caufam coniunctam.

In fexta de caufa finali, videlicet, fymptomate epiginomeno, ratione caufę, morbo aut alteri fymptomati: quando facultas aliqua lęfa excernit cruda pro coctis,anarrhopa pro catarrhopis, foras vel intro per

metastasin ad loca incommoda. In quibus reuulsio materiæ morbificæ requiritur indicatione sumpta à priori, ideſt à motu causæ antecedentis, purgatione, & sanguinis miſſione.

In ſeptima rurſus de causa finali videlicet ſymptomate epiginomeno ratione effectus morbo aut alteri ſymptomati: quando facultas aliqua potens excernit causam coniunctam per loca commoda, vt iecur, cor & cerebrum per ſua emunctoria inguina, alas, pone aures &c. ad loca commoda, in quibus deriuatio cauſę coniunctę requiritur indicatione ſumpta à poſteriori, id eſt, à termino cauſę antecedentis, medicamento, igne, ferro, &c.

DE VTILITATE DEMONSTRATÆ *methodi eiuſque fine.*

VTilitas autem quam ex obſeruata ab Hippocrate methodo medicinæ ſtudioſi capiēt tā multiplex eſt, vt longis commentariorum ambagibus non ſit in poſterū opus: nā vnico ſynopſeos intuitu mirabilis doctrinę Hippocraticę facies emergēs tenebras ex animo diſcutiet, atque multiplici rerum intelligētia mentē illuſtrabit ſiue genus & differētia ad definiēdū, ſiue rerū diſtributio per dichotomiā ad diuidendum, ſiue earumdem connexio ad ratiocinandum, requirantur.

His adde quod non secus ac illi, qui totius mundi exemplar circumferunt tutius nauigant, ita studiosi tutò, citò & iucundè per amplissimũ medicinæ Oceanum nauigabunt, qui eius exemplar in paucas chartas ab Hippocrate contractum & à nobis Lesbiæ regugulæ restitutum, artificiosisque variegatum coloribus circumferent: his etiam adde quod delineata synopsis singula ad suum genus referens cœca reget mentis tenui vestigia filo, eaque ratione memoria erit ad capiendum expeditior, recordatio ad explicandum dexterior, aphorismorum auctoritas in ore frequentior, quorum crebra citatio ita antiquis medicos commēdabat, vt pro ignaro haberetur, qui non singulis rationibus aphorismum accommodaret. Rursus quia nullus ferè est aphorismus, qui non referri possit aut ad causam morbificam aut ad morbi aliquot genus, item signi, excretionis & remedij, quotiescumque inter legendum occurret difficultas aliqua, non alienum erit ab instituto, si numerum aphorismi numero synopseos accommodet, tanquam Lesbiæ regulæ, ibique rimetur ad quodnam genus prædictorum capitum referri possit, deinde translato genere ad caput congeneum præcedentis enarrationis, tanquam ad Polycleti normam, veram aphorismi intelligentiam percipiat.

SYNOPSIS
METHODI
DOCTRINAE
HIPPOCRATICÆ

IN PRIMAM
SECTIONEM APHO-
RISMORVM.

MORBIS ACVTIS VIGENTIBVS QVID *agendum? materia morbifica est auferenda.*

Procemium operis siue exhortatio vt diligentiam, iudicium & experientiam adhibeamus. 1.


Quomodo?

- In orgasmo
  - Cacochymiæ artificiosa purgatione ad exemplum criticæ proinde theorema imitationis, siue decisio controuersiæ antiquorum inter humorum eccrisin & syntexin per Euphoriam & Dysphoriam. 2.
  - Plethoræ sanguinis missione. Proinde præceptum cautionis in partium solidarum euexia & cachexia. 3.
- In pepasmo.
  - In fieri alimentorum subductione.
    - Ante diem decretorium, vide sequentem synopsim aphorismorum, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. quam in Typographi commoditatem infra rejecimus. Vide *
    - In die decretorio, & indicatorio, id est, in ephodis. Per vndecimum non est reuocandus calor à pepasmo ad pepsin in die Paroxismi: per præsentem verò neque à pepasmo ad pepsin, neque ab excretione critica ad artificiosam. 19.
  - In facto, critica excretione. Vide α

*ediV,

* Ante diem Decretorium.

- Nutrié di difficultas secundum
  - Dietæ
    - Genus nam triplex est, facilis, mediocris & exacta.
    - Modum
      - Comparatione
        - Dietarum cum morbis, 4.
        - Dietarum inter se, 5.
      - Correctio præcedentis comparationis. 6.
  - Remedium, sic aliquando vtilis erit dieta quàm tenuissima, pharmacia fortis, crudelis chirurgia. 6.
- Nutrié di opportunitas secundum
  - Morbi
    - Genus, sunt enim quinque præcipui, phrenitis, pleuritis, peripneumonia, causos, synochos.
    - Mag. ex inté. & remissi.
      - Per sua tempora, vbi.
        - Tecmarsis nutritionis.
          - A morbi magnitudine: In principio. 7. vigore. 8.
          - Ab ægri viribus. 9.
        - Adscriptio graduum dietæ gradibus morbi. 10.
      - Per suos circuitus.
        - In paroxisimis morbi. 11.
        - Paroxismorum & status morbi indicia 12.
  - Ægri.
    - Vires
      - Per ætates.
        - Singulas. 13.
        - Ratio superioris. 14.
      - Per anni tempora. 15.
    - Cõsuetudinẽ
      - In cibi
        - Qualitate, cuiusmodi febricitãtibus esse debet, frigidus, humidus, imbecillis, sitis expers, coctu facil. 16.
        - Frequentia per sanitatẽ aut morbũ. 17.
        - Copia 18.
      - In reliquis rebus non naturalibus, &c.


In fieri, critica excretione.
Perfectè iudicato ratione criſeos ad tempus aut ad ſpeciem morbi. 20.
Imperfectè in quo iuuanda eſt criſis medicaméto.
Priùs conſiderata
Humoris
Inclinatione anarrhopi, catarrhopi: intro, foras: per loca naturę commoda aut incommoda. 21.
Coctione in
Pepſi alimenti aut pituitæ dulcis.
Pepaſmo materiæ.
Coctione capacis, cui debetur purgatio. 22.
Coctionis expertis, cui debetur epicraſis.
Morbi
Cauſa, quæ educenda eſt donec morbus ſuperetur: breues autem ſunt à ſanguine & à bile; longi à pituita & melancholia: metaptoſeos ex eorumdem permixtione. 23.
Specie: nam alij cum febre, vt phrenitis à bile: alij ſine febre, vt apoplexia. 24.
Sede, ſiue loco affecto, &c.
Apoteleſma quatuor præcedentium aphoriſmorum. 25.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

SECTIO PRIMA.

1 *Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile: Nec solùm seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & præsentes, & exteriora.*

2 *In turbationibus ventris, & vomitionibus sponte factis, si quidem talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter* ęgri *ferunt: sin minus, contrà. Sic verò & vasorum inanitio, si quidem fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: sin minus, contrà. Inspicienda itaque est regio, & tempus, & ætas & morbi, in quibus conueniat, aut non.*

3 *Habitus athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cùm verò non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est, vt recidant in deterius. His ergo de causis pleniorem habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat: neque* vasorum *confidentiæ ad extremum ducendæ (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius, qui perferet, ad hoc ducere* conuenit. *Sic & vacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosæ: & rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.*

4 *Victus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, vbi non conuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis* est.

Nam & repletiones ad extremum progressæ, graues sunt.

5 In tenui victu ægri delinquunt: quò fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur, maior in tenui fit, quam in paulò pleniore victu: propterea etiam sanis periculosus est valde tenuis & status ac exquisitus victus: quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus & exquisitus, eo qui sit paulò plenior, maxima ex parte periculosior.

6 Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima.

7 Vbi morbus peracutus est, statim & extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu necessariò vtendum est: *Vbi verò non, sed pleniorem victum licet exhibere, tantum* à tenui *paulatim recedendum est, quanto morbus remissior extremis fuerit.*

8 Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu vel tenuissimo vti necesse.

9 Coniectari autem simul oportet, an æger eo victu perdurare possit vsque ad morbi vigorem: & vtrum prius ille deficiat, nec eo victu durare queat, aut morbus antè deficiat atque hebescat.

10 *Quibus igitur statim vigor est,* eos *protinus tenuiter cibare* oportet: *quibus verò posterius vigor futurus est,* iis & *in ipso* statu *& paulò antè subtrahendum: prius verò vberius cibandum vt æger sufficiat.*

11 *In accessionib. abstinere oportet: nam* cibum *dare, nocuum, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsis accessionibus abstinere oportet.*

12 *Accessiones verò & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue maiore interuallo fiant. Sed & ex his quæ mox apparent,* indicia

ſumuntur: *quemadmodum in morbo laterali laborantibus, ſi initio ſtatim ſputum appareat, breuem fore nuntiat: ſi verò poſtea appareat, longum. Et vrinæ, & alui excrementa, & ſudores, cùm apparuerint, iudicatu faciles, vel difficiles, & breues aut longos fore morbos oſtendunt.*

13 *Senes facillimè ieiunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſtantem agunt, minus adoleſcentes, omnium minimè pueri, præſertim illi qui inter ipſos ſunt viuidiores.*

14 *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus abſumitur. Senibus verò parum calidi* innati ineſt: *paucis propterea fomitibus egent: quia à multis id extinguitur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non ſimiliter acutæ fiunt: frigidum enim* eorum *corpus.*

15 *Ventres hyeme & vere natura calidiſſimi* ſunt, *& ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim* tunc *calor innatus plurimus* eſt: *ideo pluribus egent alimẽtis indicio ſunt ætates & athletæ.*

16 *Victus humidus febricitãtibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis qui tali victu vti conſueuerunt.*

17 *Et quibus ſemel aut bis, plurá-ne an pauciora, aut particulatim* oporteat offerre, conſiderandum. *Dandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & conſuetudini.*

18 *Æſtate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, ſecundum locum ver* habet.

19. *His qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare* oportet, *neque cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes.*

20 *Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque innouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue*

aliis irritamentis, sed sinere.

21 *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere.*

22 *Concocta medicari atque mouere, non cruda, nec in principiis, nisi turgeant: plurima verò non turgent.*

23 *Quæ vacuantur, non copia sunt æstimanda, sed si qualia oportet vacuentur, & ægri facilè tolerent. Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum id quoque, si æger par esse possit.*

24 *In acutis morbis rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vtendum, & hoc cum exacta præmeditatione faciendum.*

25 *Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contraria, difficulter.*

VSVS PER EXEMPLA METHODI

PRIMÆ SECTIONIS.



N primo Aphorismo cęterorum prœmio duas rationes affert Hippocrates, cur vniuersam artis medicæ cognitionem per numerosa suorum librorum volumina longè patentem in breuissimam rerum & verborum summam compendiosè contraxerit: primam, tẽporis penuriã, quia teste Horatio. Vitæ summa breuis nos spẽ vetat inchoare lõgã: ἡμεῖς γὰρ ὅπότε ἀρχόμετα ζῆν τότε ἀποθνήσκομεν, dicebat Theophrastus, ad quæ verba respiciens Cicero scripsit libro tertio Tusc. quæst. Theophrastus autẽ moriens

accusasse naturam dicitur, quod ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ętas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, vt omnibus perfectis artibus omni doctrina hominum vita erudiretur. Secundam, artis difficultatem propter irreparabilem elapsæ occasionis iacturam: periculum in experiendo: ambages rerum in iudicando: opinionum pugnam in artificibus: morum improbitatem in ægris: negligentiam ministrorum: penuriam rerum domesticarum: nam fieri non potest, vt in vno aut altero, pluribus aut omnibus simul non rarò offendatur. Vnde non immeritò Hippocrates artem longã vocauit tot difficultatibus inuolutam. Quibus ex aduerso respondent, summa in medendo promptitudo, omnium medicamentorum, quibus tot morbis corpus humanum incursantibus, mederi commodè possit notitiam: similium & dissimilium morborum, corporum, signorum & remediorũ distinctio: eximia scientia prædictionis, & remediorum constantia: exquisita ęgrorum cum medico aduersus morbum conspiratio: denique summa in pharmacopœis, chirurgis & clinicis omnia abundè suppeditantibus obseruatio. Quibus simul ad salutem ęgri conspirantibus nullum est theorema aut præceptum in diuini senis operibus, quod non amplissimam certitudinis fidem faciat, sin vno aut altero pluribus aut paucioribus delictũ sit, certitudinis etiam magis aut minus ducta ratione fidẽ infirmabit. Vnde non immeritò Cornelius Celsus scripsit in nullo morbo minùs fortunam sibi vendicare quàm artem posse

tot difficultatibus inuolutam, vbi præſertim repugnat natura, & cauſæ contumacia.

Ergo cum occaſio ſit velut curationis anima, in præcipiti morbo debent omnia medico comperta eſſe, quæ ad tecmarſin pertinet, quibus illico reſiſtat morbo, ne medendi occaſio illabatur. Hinc cauſa fuit, cur in prima ſtatim ſectione & ſequenti ab acutis morbis auſpicatus fuerit: his enim breue ſpatium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non oportunè datum, aut datum non profuit, æger extinguitur. Diuturnis verò, quos poſterius ſubiecit, deliberationi & mutationi remediorum tempus patet: adde etiam quod febres ſint morbi totius, totíque priùs prouidendum eſſe quam parti, & ægrotanti quàm ægrotare metuenti: & primario morbo, quàm eo, qui fit per conſenſum, quam etiam methodum prudentiſſimè vbique obſeruauit. Quod autem in ſecunda ſectione morbos decidentiæ, recidiuos & mixtos, item acutos ſine febre diſtulerit, ex eo factum eſt, quòd, auctore Celſo acutus quo vetuſtior, longus verò quò recenſior, eò facilius curatur. Eſt autem duplex acutorum natura, vt docet Galenus, vel enim in humoribus calidis ſolis, qui nullum obſedere locum, ſed æqualiter in omnibus animalis partibus apti ſunt ex ſua natura generari, vt vtraque ſynochus & cauſus: vel loco aliquo patiente fiunt, vt inflammatis pulmonibus crymodes, hepate typhodes, ſtomacho lypiria, muſculis laryngis angina, menynge phrenitis, pleura pleuritis, cerebro lethargus, item vena caua, renes, veſica, columella & tonſillæ proprijs laborant inflãmationibus, quibus omnibus febris epiginomene & continua

ſuccedit.

ſuccedit. Rari enim ſunt, quibus ſtatim in principio febres non adſint apoplexia & conuultio, & eorum de generes paralyſis apoplexię, epilepſia cõuulſionis: in hunc numerum recenſet Aretęus, hyſteritin, ſatyriaſin, ileon, colicon, ſyncopen, hæmorrhagiam, quibus ſingulis è præſcripto aphoriſmo eſt tutò, citò & iucunde opitulandum.

Itaque tempori penuriæ & artis difficultati hoc philoſyntomo verboſæ orationis compendio bene ab Hippocrate prouiſũ eſt, velut enchiridio aut promptuario rerum à medicis gerendarum: nam qui totius terrę exemplar circumferunt nauigant tutiùs.

Medicina ſecundum Hippocratem fit additione vel ablatione materiæ morbificę, acuti morbi pendẽt à materia auferenda, aufertur autem tripliciter pharmacia, phlebotomia & dieta: quomodo verò & quãdo iſta materia ſit auferenda indicant eius duę præcipuę affectiones, nempe ferocia ſiue orgaſmus, & cruditas à qua pepaſmus. Orgaſmus debet tolli ſtatim in principio per 24. aph. huius ſectionis, & per 29. aph. Secundæ ſect. & per 10. aph. 4. ſect. Quomodo verò docent huius ſectionis 2. & 3. purganti nempe medicamento, ſi materia pepaſmi expers, quaſi furore percita modo huc modo illuc feratur, ob malignam qualitatem: aut ob copiam, phlebotomia, ſi inconcinno humorum & ſpirituum motu illud contigerit. Cruditas vero domatur pepaſmo, ideſt coctione, coctio autem perficitur dieta legitimè inſtituta, de qua in ſequentibus aphoriſmis nempe à 4. ad 19.

Sunt variæ cruditates, quot enim ſunt genera coctionum, tot genera ſunt cruditatum: quædam enim

cruditas pepsi corrigitur, quædam pepasmo. Pepsi in sanis, pepasmo in ægris: in illis singuli humores, in his materia morbifica capax coctionis, vt sanguis in synocho & plegmone, bilis in causo aut erysipelate. Qui verò sunt coctionis inexpertes, si valido pharmaco trahantur morbos efficient lethales: quare dieta sapientissimè instituta tantùm periculum vitare licet.

Instituetur autem legitimè, si dietarũ species morborum speciei conuenienter accommodetur, vt exquisitè tenuis exquisitè acutis, pertenuis peracutis, simpliciter tenuis simpliciter acutis. Deinde si conferatur dieta dietæ, morbus morbo, & morbus dietæ, item dietarum quæ periculo vacet, & quę potissimũ vrgente necessitate vsurpanda. vt in 4. 5. & 6. præsentis sectionis aph.

Cùm verò naturæ sit studendum & morbus oppugnandus ante dietæ præscriptionem morbi magnitudinem ex eius intensione & remissione in principio 7. incremento & vigore. 8. perspicere oportet eumque cum virium ęgri robore aut infirmitate pariter in principio, incremento & vigore conferendam esse monet vt vtriusque habita ratione & magnitudinis morbi & & virium ægri prudenter dieta modificetur, ne ægro iniuria inferatur, aut morbo nimis indulgeatur 9. 10. ea tamen lege vt semper maxima habeatur vigoris & paroxismi ratio, in quibus omnino nihil exhibendum est, ne auocetur calor naturalis. à pepasmo ad pepsin. 11.

At quia morbi magnitudo & ægri vires non aliunde peti possunt, quàm à proprijs suis signis tecmerijs, ideo

monet qua ratione ea magnitudo, quæ in vigore & paroxiſmis ſeſe oſtentat ſit perueſtiganda, vt ſtatim illis dieta decernatur conueniẽs. Perueſtigatio autem illa ducitur ab affligentis morbi ſpecie, anni tempore, periodorum ſtatis vicibus, & ſignis epiphenomenis, 12. Pariqueratione ægri vires ab ętate 13. 14. anni tempore. 15. & conſuetudine in cibi quantitate, 16. frequentia 17. copia. 18. Hæc igitur de dieta extra ephodos inſtituenda, in ephodis verò quomodo abſtinendum ſit, docet 19.

Perfecto abſolutóque pepaſmo, id eſt, coctione materiæ morbificæ, facultatis excretricis eſt ſuas partes agere ſolius naturæ motu, virtutíſque illius ope, quę Oceani æſtus reciprocationeſque moderatur per ſingula meabilis, nempe ſolis & lunę reliquorumque ſyderum motus & influentię dierum criticorũ moderatrices, & quæ materiam morbificam è corpore deturbant. Non mouendi itaque humores, quos nunc natura magno conatu expellere ſtudet, ne ſcilicet illius actionem turbemus, atque adeò per viam minus conuenientẽ noxios vacuemus humores. Totum igitur naturæ permittendum erit, neque quicquam à medico agendum, niſi vt victum conuenientem, quemadmodum in iis, que precedunt, ſententiis expoſitum eſt, inſtituat, interim excretionis criticæ ſplendidum faciens iudicium.

Nam perfecta, quæ in morbo nihil reliqui facit, firma, fida, ſecura, quæ non amplius redit. Tuta, quæ ſine periculoſis ſymptomatis acceſſit. Manifeſta, cui excretio vel abſceſſus inſignis. Laudabilis, quę cum laudabilibus ſignis acceſſit: & ab indice præindicata

est. Bona, cuius finis εὐφορία, sanitas corporis, virium integritas. Contrà verò imperfecta, cum ex morbo fuerit quippiã relictum. Infida seu incerta, cum morbi recidiua continget. Periculosa quæ cum grauibus symptomatis. Obscura, quæ citra excretionem vel abscessum quempiam euidentem continget. Illaudabilis, quę sine signis, aut à nullo priore die fuerit iudicata.

Itaque imperfectè iudicato nihil impedit, quin ea, quæ relicta sunt educere medicus possit: imò cessare non debet, quin ea vacuet, nam quę relinquuntur post iudicationem recidiuam facere consueuerunt, vt docet Hippocrates in sequentis sectionis aph. 12.


Sunt tamen huiusmodi euacuationis artificiosæ post imperfectam crisin certæ leges, partim ab humoris inclinatione, quam sequi debet medicus, nisi loca ex euentu incommoda prohibeãt, 21. & coctione, cui medicamentum debet esse analogum, ne si fortius fuerit crudum cum cocto simul educat. Hoc genus euacuationis vocatur epicrasis, cum sensim coctum educitur, crudo iterandæ coctioni & subductioni remanente, ídque tamdiu donec materię morbificæ nihil supersit, 22. Pàrtim à morbi causa & conditione, dixit enim priùs cocta educenda, nunc verò an coctio illa causæ respondeat morbificæ vidẽdum, nam acuti à bile & sanguine, longi à pituita & melancholia, mixti à permixtione humorum: itaque in acutis sanguinis aut bilis coctio expectanda est, in longis pituitæ aut melancholiæ, in mixtis confusionis humorum, 23. A conditione morbi, nam acuti morbi non purgatione, sed critica euacuatione finiuntur:

præterea rarò orgaſmo concitantur, ſæpiùs phlegmonem, obſtructionem, crudos, lentos, craſſos ſuccos, flatibus diſtenta hypochondria comitantur, in quibus abſtinendum eſt à purgatione, niſi tenui & blando pharmaco, clyſmis & id genus aliis aluus exoneretur, 24. Tandem concludit eiuſdem planè ſententiæ artificioſa repetitione quatuor præcedentes Aphoriſmos, qua doctrinam Aphoriſticam inceperat. Proinde Theorema imitationis naturæ, ſiue deciſio controuerſiæ antiquorum inter ἔκκρισιν καὶ σύντηξιν in cacochymia & Euchimia per εὐφορίαν καὶ δυσφορίαν, 25.



MORBIS ACVTIS SVPERATIS QVID agendum? reficiendus est æger. Quomodo? obseruatis signis.




β Diagnothicis
Totius qualis febris essentialis
Diagn. morbi.
En metaptoseos.28.
Ex humorum permistione.
Tecmasis curandi.
Euacuationis.
In morbo.
Tutò
A tempore.
Quando. 29.
Cur.30.
A modo
Refectionis. 31.
Appetentiæ.32
Cauté
Ab actionum animalium integritate.33
A consentaneis & dissentaneis.34
Ab œconomia naturali. 35
In sanitate.
Restituta.36.
Primigenia. 37.
Renutritionis. 38.
Partis qualis febris epiginomone
Diagn. morbi
Periculi expertis, quando materia Eupeptos, corpus Euecton.
Lethalis,
Cōparaté
Syntrophus, vt Epilepsia pueris, dysſenteria senibus.39
Increscens, vt asthma, phthisis ferina distillatio, nephritis, arthritis, dolor splenicus, colicus.40.
Absoluté.
Syncope.41
Apoplexia. 42
Angina 43
Tecmasis curādi
A beneficio.
Interno.44
Externo.45.
A legima
Mitigatione symptomaton.46.
Cognitione causarum. 47.
Curatione morborum.48.
A consuetud.
Laborum.49.
Ratio præcedentis.50.
A remediorū-
Moderatione.51.
Constantia 52.
A corporis,
Excretionibus. 53.
Statura. 54.

SECTIO SECVNDA.

1 *IN quo morbo somnus laborem facit, mortiferum: si verò somnus iuuat, non mortiferum.*

2 Vbi somnus delirium sedauerit, bonum.

3 Somnus atque *vigilia, vtraque si modum excesserint, malum.*

4 Non satietas, non fames neque aliud quicquam bonum est *quod naturæ modum excesserit.*

5 Spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant.

6 Quicunque dolentes parte aliqua corporis, vt plurimùm dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.

7 Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.

8 Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, copiosiori alimento corpus vti significat: quòd si non assumenti cibum, hoc accidat, scire oportet id *indigere vacuatione.*

9 Corpora, quacunque purgare quis voluerit, oportet fluida facere.

10 Impura corpora quantò plus nutriueris, tanto *magis lædes.*

11 Facilius est refici potu quàm cibo.

12 Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.

13 Quibuscunque crisis, id est iudicatio, *fit, his nox grauis ante accessionem: quæ verò subsequitur, plerunque leuior* existit.

14 *In*

14 *In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.*

15 *Vbi fauces ægrotant, aut tubercula enascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat: si verò similes sanis sint, tutum* est *corpus nutrire.*

16 *Vbi fames, laborandum non est.*

17 *Vbi cibi præter naturam plus ingestum est, morbum id facit: quod ostendit etiam sanatio.*

18 *Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres quoque fiunt excretiones.*

19 *Acutorum morborum non omnino* sunt *certæ prædictiones, neque mortis neque salutis.*

20 *Quibus adhuc iuuenibus aluus humida est, iis senescentibus siccatur: quibus verò iuuenibus adhuc aluus sicca est, iis senescentibus humectatur.*

21 *Famem vini potio soluit.*

22 *Quicunque morbi ex repletione fiunt, vacuatio curat: & quicunque ex vacuatione, repletio: & cæterorum contraria* sunt remedia.

23 *Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.*

24 *Septenorum quartus* est *index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus spectandus: ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus verò decimus septimus spectandus: ipse siquidem est quartus à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo.*

25 *Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt: autumnales verò longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.*

26 *Febrem conuulsioni superuenire melius* est, *quam febri conuulsionem.*

27 *His quæ non cum ratione leuant, non oportet fide-*

re, neque multum formidare mala quæ præter rationem eueniunt: plurima enim horum stabilia non sunt neque valde durare, neque diu permanere consueuere.

28 *Febricitantium non omnino leuiter corpus permanere & nihil minui, vel etiam plus quàm ratio postulat, emacrescere malum: illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.*

29 *Morbis incipientibus si quid mouendum videtur, moue: vigentibus verò melius est quiescere.*

30 *Circa initia & fines omnia imbecilliora: circa status verò & vigores, vehementiora.*

31 *Eius qui à morbo bene cibum capit, nihil proficere corpus, malum.*

32 *Omnes ferè qui malè se habent circa initia bene cibum capientes, neque quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt: qui verò circa initia cibum vehementer fastidiunt, & postea bene appetunt,* ij *meliùs euadunt.*

33 *In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrà verò* se habere, *malum.*

34 *In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit.*

35 *In omnibus morbis partes ad vmbilicum & imum ventrem* attinentes *crassitudinem habere, melius est: multùm verò extenuari ac contabescere, prauum. Sed & hoc quoque ad infernas purgationes periculosum.*

36 *Qui salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati, citò exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo.*

37 *Qui bona sunt corporis valetudine, difficulter ferunt purgationes.*

38 *Paulò deterior & potus & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus*, est *præferendus*.

39 *Seniores iuuenibus plurimùm ægrotant minùs: qui verò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.*

40 *Raucedines & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt.*

41 *Qui frequenter ac vehementer absque causa manifesta exoluuntur, derepentè moriuntur.*

42 *Soluere* morbum quem *apoplexiam* vocant, *vehementem quidem impossibile; debilem verò, non facile.*

Strangulati atque dissoluti, at nondum mortui, non se recolligunt, quibus spuma circa os fuerit.

44 *Qui natura admodum crassi sunt, citiùs intereunt quam qui graciles.*

45 *Quicunque pueri morbo comitiali laborant, mutationes maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victus quoque* eos *liberant.*

46 *Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.*

47 *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis quàm* eo iam *confecto.*

48 *In omni corporis motu vbi fatigari cœperit, quies statim lassitudinem aufert.*

49 *Consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, aut senes, non consuetis, fortibus* licet *atque iuuenibus, faciliùs ferunt.*

50 *Ex longo tempore consueta etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta transire.*

51 *Plurimum atque repentè vacuare, vel replere, vel cale-*

facere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus moue-re, periculosum, quoniam omne nimium eſt *naturæ inimi-cum: sed quod paulatim* fit, *tutum* eſt, *& præsertim si quis ab altero ad alterum transierit.*

52 Omnia secundum rationem facienti si non succe-dant secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est.

53 Quicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, meliùs degunt his qui siccas habent: in senecta ve-rò deteriùs degunt: nam senescentibus magna ex parte sic-cantur.

54 Magnitudo corporis iuuentæ quidem liberalis nec indecora: senectæ verò inutilis, deteriòrque breuitate.

VSVS PER EXEMPLA METHODI

SECVNDAE SECTIONIS.



IN præcedenti ſectione de morbo acuto triplicem oppugnante corporis ſubſtantiam, videlicet ſolidam, humidam & ſpirituoſam egit Hippocrates: Nunc verò qua ratione depræhendemus perfectáne an imperfecta eiuſdem morbi eliminatio ſuo more breuiter explicat, vt ſuccreſcente materia morbifica, vnde recidiui, aut ſuperſtiti, vnde producti, legitima cum victus ratione, tum materiæ euacuatione priſtinæ valetudini corpus reſtituatur. Accedit etiam morborum ἐκ μεταπτώσεως ſiue deciden-tiæ, & eorum, qui permixtione pituitæ aut melan-

choliæ inter acutos & diuturnos ambigunt, necnon acutorum, qui sine febre primigenia aut coniuncta corripiunt, qualis apoplexia, conuulsio, syncope, ileosis, colicus, hystericis in hanc classem receptio. Nam vt longissimus acutorum terminus quarto decimo die vel ad summum vigesimo terminatur, ita qui semel hos fines superauerint, intra quadragesimũ diem, nouo victus genere coquendi nouisque crisibus iudicandi coercentur, aut in longos, siue diuturnos, ægri aut medici culpa abeunt, iterumque degenerant ex vna specie in aliam. Cui sanè incommodo sapientissimè prouisum est hac secunda sectione ab Hippocrate simili pene methodo, quæ fuit in superiore. Itaque cum duo auctoris scopi occurrant reparandi nempe triplicem in corpore substantiam, cui calor febrilis vim intulerat & curandi affectus, quorum iam memini, & quorum postea dicendum, in primis, quę sit illius reparationis apportunitas & quæ sit difficultas breuiter recenset: auspicatur autem opportunitatem à rebus non naturalibus, quibus modo vice causarum in morbis efficiendis, modo vice signorum anamnesticorum vtitur: nam vnum & idem, diuersa ratione diuersa significat, vnaque fidelia, vt est in veteri prouerbio, duos dealbat parietes. Cum igitur in declinatione paroxismi, talis sit somni conditio, quales fuerunt vapores ad cerebrum eleuati, vapor acrior parens erit somni pauci, vel tumultuosi: copiosus vel crassus laborem morbo, 1. blandus superstitem vim naturæ, 2. immoderatus metastasin materiæ morbificæ, exhaustos spiritus cerebri à vigiliis, cruditatum occasionẽ præbere subiectis cerebro

partibus, & contrà vigiliæ, denunciabũt, 3. Quemadmodum præcedentibus aphorismis somni & vigiliarum, ita nunc satietatis & famis exemplo omnia immoderatiora esse noxia ostendit. Satietatis àutem nomine deiectam appetentiam magis intelligit quàm repletionem, vt sit illa satietas analoga spontaneæ lassitudini: nam satietas à cibo & lassitudo à labore & dolor ab inæquali intemperie sanorum sunt symptomata, sicut deiecta appetentia, spontanea lassitudo & ἀναισθησία ægrorum: est autem triplex lassitudo, ἑλκώδης cacochymię, τονώδης plethorę, & phlegmonodes vtriusque. Simili etiam ratione quę sanis dolorem inferunt inęqualis intemperies & continui solutio, siue sit phlegmone, siue erysipelas, siue vulnus corpori inflictum facultatum animalium integritatem, contra verò ἀναισθησία eorumdem peruersionem, 4. 5. 6. significat. Itaque his prędictis rebus non naturalibus partim succrescentis materiæ à crisi perfecta, partim superstite à crisi imperfecta causæ & signa depræhenduntur, quibus quid sit agendũ tacitè indicatur, purgandum, videlicet, at quomodo postea dicetur. Hinc à rebus non naturalibus ad naturales digressus corporis functiones, neutram dispositionem explorando, quomodo sit à morbo reficiendum & recidiua vindicandum docet. Fit autem illud duobus modis nempe modificatione cibi & potus conuenientis naturę & renutritioni 7. & cautione inter renutriendum superstitis aut succrescentis materię, 8. 9. 10. 11. à crisi perfecta aut imperfecta, 12.

Hactenus Hippocrates de reparandæ triplicis substántię opportunitate victo iam morbo absolutaque

crisi & de ablatione materię superstitis aut succrescentis post quartum, septimum, aut quartum decimum, item septimum decimũ, aut vigesimum. Nunc verò non qualis sit futura crisis, sed qualis pręcesserit in pręfatis diebus exponit, vt inde totius negotij difficultas re intellecta paucis explanetur, in cuius rei notitiam repetenda sunt quæ ad 24. Aphorismum primæ sectionis è Galeno exposuimus. Chrisi igitur imperfectę superstes est materia morbifica, non secus ac perfectę illa quę increscit à praua victus ratione. Quare vtriusque criseos, perfectę inquam & imperfectę, materię superstitis & succrescentis rationes paulo altiùs sunt repetendę, quo certior instituatur tum dietæ, tum purgationis modus, singulis morbis, quorum genera summatim perstrinximus, initiumque ducemus à crisi, à qua signa ducuntur crisima appellata à materię motu & temporis ephodo, quibus quid factum & futurum sit operę prætium cognoscimus.

A primo igitur aphorismo ad septimum Hippocrates signa à rebus non naturalibus cum obseruasset, quibus indigere corpora euacuatione ante renutritionẽ collegit: subinde illa quomodo sint euacuationi præparanda & reficienda ab 8. ad 11. explicauit: nunc causam cur illa vacuanda sunt expositurus metum recidiuæ proponit, tum maximè, quod vel ipsa materia in die decretorio fuit minùs ad expulsionem idonea, tum etiam quod ipsa natura nimis imbecilla per morbum effecta, vniuersos humores noxios expellere non potuit, 12.

Itaque cum in præcedenti aphorismo, quid ea,

quæ post iudicationem relinquuntur efficiant, docuerit, signa vtriusque crisis à motu materiæ ad speciem morbi & ad tempus decretorium proponit, vt medicus certo sciat recidiuam ab iis, quæ à iudicatione relicta sunt factam esse. Præcedunt autem motum materię ad speciem morbi delyrium, dyspnęa, caligo oculorum, splendores ob oculos versantes, lacrymæ inuoluntariæ, temporum grauitas, ceruicis & capitis dolor, anticipatio, longitudo & vehementra accessionis, comata, dolor stomachi, aurium sonitus, tremor, labrum inferius agitatum, ęstus & sitis vehemens, nox item absque ratione molesta, 13. Consequitur motum materiæ excretio aut abscessus: excretio fit viis patentibus ad expulsionem materiæ per dejectionem, vrinas, sudores, vomitum, hæmorrhagiam, in quorum singulis differentiæ à substantia, copia & qualitate, item differentiarum causæ & signa sunt notāda in morbis præsertim acutis, quorum motus materiæ excretione perficitur, abscessu nunquam nisi imperfectè, 14. E principalibus membris humores malos euacuans, aliàs foras per patentes meatus, de quibus in præcedenti Aphorismo, aliàs ad cutim, de quibus modò hîc suo ordine loquitur Hippocrates, viam affectat sibi materia. Ad cutim vi naturæ humores propelluntur, qui si pauci, tenues & biliosi, vt in ictero nonnunquā, perfectam crisin absoluent: si verò crassi, multi & pituitosi, in cute reponuntur, atque hoc modo abscessus nascuntur in corpore, quorum differentiæ petuntur à substantia, magnitudine & qualitate: item differentiarum causæ & & signa explicantur, 15.

Præcedentibus Aphoriſmis, quo pacto opportuna iudicatio, quæ per excretionem fit, item altera, quæ per abſceſſum, dignoſcantur, docuit. Nunc in ſequentibus Aphoriſmis à 16. ad 22. difficultatem oſtendit in perfectæ criſis expectatione, vbi medici aut ægri culpa, aſſidentium & aliorum irritatur natura atque aliò diuertitur, quod Hippocrates in ipſo ſtatim Aphoriſmorum principio complectitur his verbis: nec ſatis eſt medicum ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque ægrotus, ſuum aſtantes fecerint, ſintque externa ritè comparata. Ac ſi dicat, vis noſtrorum ſcriptorum explorare veritatem, tu primũ medice, omnia ritè gere, deinde ægrotus in omnibus ſe tibi præbeat morigerum, nihílque præ intemperantia peccet. Aſſidentes ne iram concitent aut intempeſtiuè aliquid nuncient: quin apparatus omnes ante criſeos tempus promptè & expeditè fiat, obſonia pulchræ parentur iuxta medici prȩſcriptionem. Hæc igitur, quæ multiplicia ſunt, particulatim, dum naturæ motus impediunt, frequenter circuituum ordinem (de quibus mox dicendum) & criſin interturbant.

Proinde ita vndequaque admirabilis Hippocrates dicebat naturã omnino ſufficere morborumque eſſe medicatricem, externo tantùm egere auxilio, coadiutore medico, qui beneficio artis ſalubrium & inſalubrium ipſa præeunte & viam monſtrante morbum profligat & ſanitatẽ reſtituat: qua ratione medicum, qui re vera medicus ſit, naturæ miniſtrum appellat, non pharmacopolam è triuio. Tantum enim hic à iuſta miniſtri appellatione abeſt, vt docet Galenus, vt etiam maximè contrarium nomen ipſi conueniat, di-

catúrq; vere hoſtis & inimicus cum naturæ tum ęgrotantium, vbi pręſertim nihil dignum à ſe geſtum eſſe putat, niſi vnxerit, fouerit, enema iniecerit, venam ſecarit, cucurbitulas admouerit, confricuerit, cibum exhibuerit, nutriuerit, vel aliquid eiuſmodi fecerit. Licet igitur intelligere, idem Galenus ait, non alium eſſe, qui accuratè prædicit & qui rectam victus rationem inſtituit, ſed in vnum & idem ambo coire neceſſe eſt, futurum alioqui, vt alterum ab altero corrumpatur. Hæc enim mutuis fulciuntur auxilijs bene vel malè rationem victus inſtituere, & bene vel malè futuræ criſis diem prædicere. Victus autem ratio non in aſſumendis tantùm, ſed in admouendis, educendis & faciendis, & in ſumma, in vniuerſi morbi curatione & œconomia conſiſtit.

Cum in morbis exactè acutis omnino abſtinendum ſit, corpus exhauſtis dieta viribus valde ſub ipſo excretionis tempore conturbetur, ideo paulò pleniore victu opus eſt, vt labori tolerando ęger par eſſe poſſit ſemper ad nonum & decimum primæ ſectionis aphoriſmum reſpiciendo, quinetiam à criſi imperfecta non ſtatim fraudandus eſt æger ſuo alimento, nec ſuccreſcentes humores aut ſuperſtites venæ ſectione, purgatione aut ſudoris prouocatione ſtatim euacuandi: reficiendę enim ſunt vires modico incommodo ad deterioris fugam 16. Quia vero vſus in mediocritate, abuſus in exceſſu aut defectu rerum, quę adminiſtrantur, conſiſtunt, in vtróque tempore, & quòd criſin præcedit, & quod criſin conſequitur, referenda eſt ſemper cibi ſumpti mediocritas ad naturam eius, cui adhibetur 17. Præterea δυσαπεψία alimentorum ægri

non sunt fatigandi, quæ alienam qualitatem aut perturbationem ventriculo adferunt, sed præscribendi sunt à medico εὔπεπτοι & meabiles, quique facilè coquantur, distribuantur & excernãtur, 18. Hæc itaque ritè à medico pręcripta suam difficultatem partim ex morbi, partim ex naturæ conditione habebunt, quo minus possit optimus quisque medicus futurũ morbi euẽtum prædicere, aut sedula diligentia crisin promouere. Quocircã tacitè monet, vt naturæ triumphantis aut triumphatæ argumenta firma & constantia medicus teneat, constetque illi de morbi specie, parte affecta, humorum motu ac quiete, trium facultatum robore, & de diebus criticis, de quibus nobis statim dicendum, 19. Ex naturæ autem conditione altera difficultatis emergit occasio: natura enim hominis eiusdem non est semper vna & eadem: sic varia corporis conditio varias etiam excitat crises & in eadem specie morbi, quia quo natura vergit eo maximè crisium sunt inclinationes, eidemque morbi nunc ad salutem nunc ad lethum properent, 20. Cibi deiectæ appetentię canimus appetitus opponitur, que plerumque corripitur, qui febre laborãt, proinde symptoma frigidę & siccę stomachi intemperiei à iecore pręcalido illi suum calorem surripiente exortum; cuius nonnunquam tanta inest ciborum auiditas, vt plerumque etiam moribundis, quę sanis par esse posset, quantitas, non possit sufficere, imponãtque imprudentibus futurę spem salutis, cum breui sint plerumque morituri. Hoc docuit alibi Hippocrates exemplo mulieris, quę septimo die plenè iudicata, cum se eodem die pleniùs inuitasset, postridie obijt:

nam calor naturalis partium ſolidarum infirmitate laborans, ſtrangulatur. Hac de cauſa hîc monet non temerè cibum illis exhibendum, ſed ſymptoma mitigandum vini potione generoſi: cuius humido calore intemperies illa frigida & ſicca corripiatur & emendetur, 21. Ratione ducta à contrariorum ſimilitudine: nam ſi morbi, qui à repletione eueniunt euacuatione curantur, non dubium eſt intemperiem ſtomachi frigidam & ſiccam calidis & humidis cibis ad mediocritatem reduci poſſe, 22.

Abſoluta iam criſi, quæ ad ſpeciem morbi excretione aut abſceſſu fieri conſueuit, ad alteram, quæ ad tempus refertur, & quæ ſine priore conſiſtere non poteſt digreditur. Morbi acuti ab humore calido & tenui cum febre continua & eſſentiali diuiduntur in legitimos & ſpurios: legitimi ſunt quinque numero ab Hippocrate enumerati in libro de ratione victus in morbis acutis, phrenitis, peripneumonia, pleuritis & cauſos, quibus ſynochon tacitè enumerat, in quos frequentes & magnæ cadunt mutationes, proinde breui iudicandi, niſi eretiſmis, vt paulo ante memini eorum impediatur curſus, qui ſanè quartumdecimum diem non excedit, ſi ab eo die, quo ſe morbus in vehementiam erigit numerauerimus. Hæc autẽ vehementia interdum primo die, nonnumquam quarto, aliquando ſeptimo exilit, hinc eſt quod quidam decimoſeptimo, alij vigeſimo die ad criſin perueniant. Quamobrem ſi à die, qua ceperunt eſſe acuti ad exitum vſque numerare libeat, totus eorum decurſus quatuordecim dierum deprehendetur. Spurij, qui alieno humore permixti remiſſiore vehementia ad

quadragesimum perueniunt. Horum duo sunt genera: primum eorum, qui è confusione humorum partim calidorum, partim frigidorum in mediocri consistunt materia. Secundum eorum, qui ἐκ μεταπτώσεως, per iudicationes imperfectas ab vna specie in aliam mutati sunt, sic é pleuritide empyema, ex empyemate tabes, ex inflammatione gangrena, è gangrena sphacelus. Sincope autem, apoplexia, conuulsio & similes, quæ acumen habent ob principem partem sub crisin non cadunt. 25.

Vt ordinatè respiciendo ad futuram crisin imparium dierum naturam obseruamus, ita ad præteritam crisin non negligimus, de quibus in epidemiis, illos tanquam decretorios & perfectionis, hos tanquam intercidentes & imperfectionis: vt autem decretoriorum alij aliis sunt fortiores, ita de intercidentibus opinandum est, qui omnes à 20. die ad 40. paulatim suam vehementiam remittunt 24. Acuti iudicantur dierum numero, intermittentes periodorum ephodo, quidam vt quartana mensium & annorum decursu: imo etiam humanę vitæ spatium. 25. Apoplexia, quæ in paralysin, & conuulsio in epilepsiam, & similes acuti, diebus non iudicantur decretoriis sed beneficio externo accedente febri videlicet, aut aliquo signo pathognomonico. 26. Hunc tractatum de crisibus claudit imposturarum cautione, quæ ab ἀγύρταις sinę ratione effutiuntur. 27.

Hæc de signis anamnesticis sc. pepticis & crisimis: nunc de diagnosticis ab antecedentibus, vt de mali cibi vsu & lassitudine vltro aborta, quibus febris succedit: coniunctis symptomatibus propriis humori mor-

bifico & parti affectæ, sic cutis densitas & humoris tenuitas virium imbecillitatem. Consequentibus iuuantibus & lædentibus, sic cuti densitati balnea conueniunt, raritati litus oleorum: humoribus crassis attenuans victus, tenuibus incrassans, vtrisque euacuatio. 28.


Absoluta signorum doctrina, vnde perfectáne fuerit crisis an imperfecta, percipitur, vt opportunè conualescentibus & viuendi ratio, & si qui sint superstites aut succrescentes humores morbifici, à medico, velut naturæ coadiutore medicamentorum ope deturbari è corpore possint, iam quæ sit euacuandæ vtriusque materiæ opportunitas aut difficultas à 29. ad 38. exponit.

Prima huius sectionis pars fuit in reparatione triplicis substantiæ & excretione materiæ morbificæ, quæ superstes aut succrescens fuit acutis illis, quos febris semper comitatur: nunc sequitur secunda quæ est de spuriis illis, qui sunt sine febre essentiali, & quibus tamen nonnumquam accedit epiginomene siue symptomatica. Itaque quinam sint morbi spurij sine febre à trigesimo-nono aphorismo ad 43. explicat. Inde Tecmarsin legitimæ curationis subijcit, ab aphorismo 44. ad 54. à beneficio interno, externo: à legitima mitigatione symptomaton: cognitione caufarum & curatione morborum: à consuetudine laborum: à remediorum moderatione & constantia: denique à corporis excretionibus & statura.

SYNOPSIS
METHODI
DOCTRINAE
HIPPOCRATICÆ

IN TERTIAM
SECTIONEM APHO-
RISMORVM.

INTER CVRANDOS MORBOS ET REFICIENDVM ÆGRVM quid agendum? cauendum à causis procatarcticis per prognosin temporum & ætatum. Quomodo?



Calidi innati, immutatione dietæ: nã qualis dieta tale calidum innatũ, quale calidum innatum talis actio partium organicarum facultatumque animæ prestantia.

- In genere mutationi sunt obnoxia victus ratio, humorum crasis, & causa morbifica.
- In specie victus immutatur per
  - Manifestam etatum in
    - Anabasi caloris.
      - Tenellis pueris à natali die ad dentitionem, quæ fit vt plurimum septimo mense, nonũquam quarto. 24.
      - Mediæ à dentitione ad septimum annum 25.
      - Firmæ à septimo anno ad quartum decimum. 26
    - Stasi caloris.
      - Pubertati à quarto decimo ad decimum septimum annũ. 27
      - Adolecentiæ cuius.
        - Anterior pars à decimo septimo ad vigesimum primum. Apotelesma criticum 29.
        - Posterior pars à vigesimo primo ad vigesimum octauum annum.
      - Iuuentuti cuius.
        - Anterior pars à vigesimo octauo ad trigesimum quintum 29
        - Posterior pars à trigesimo quinto ad quadragesimum secundum.
    - Catabasi caloris.
      - Crudæ senectuti, siue homogerusiæ à quadragesimo secundo ad, quadragesimum nonum.
      - Mediæ cuius.
        - Anterior pars à quadragesimo nono ad quinquagesimum sextum. 30
        - Posterior à quinquagesimo nono ad quinquagesimum sextum.
      - Decte pitę cuius
        - Anterior pars à sexagegimo tertio à septuagesimum tertium. 30
        - Posterior à septuagesimo ad finem vitæ.
  - occultam
    - A repugnantia quatuor qualitatum,
    - Ab efficientia coloris in siti.

SECTIO TERTIA.



VTATIONES temporum potissimum pariunt morbos: & in temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris; & alia pro ratione eodem modo.

2 *Naturarum quædam ad æstatem, aliæ verò ad hyemem bene maléve se habent.*

3 *Morbi quoque alij ad alia bene vel male se habent: & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.*

4 *In temporibus quando eodem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbi expectandi sunt.*

5 *Austri auditum hebetant, caliginem inducunt, caput grauant, pigros & languidos reddunt. Quando* hæc tempestas *præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si Aquilonia fuerit, tusses* fiunt, *fauces asperæ, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, laterum dolores, & pectoris. Quando* hęc tempestas *præualuerit, talia in morbis expectare oportet.*

6 *Quando æstas fit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.*

7 *In siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales vt plurimum quoque morbos oportet expectare.*

8 *In constantibus temporibus, quum tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes & boni iudicij fiunt: in inconstantibus autem inconstantes & mali iudicij.*

9 *Autumno morbi acutissimi atque perniciosissimi*

maxima ex parte: Ver verò saluberrimum, & minimè exitiale.

10 *Autumnus tabidis malus.*

11 *De temporibus autem, siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluuiosum & australe, necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, & intestinorum difficultates fieri, præcipuè vero mulieribus, & viris natura humidioribus.*

12 *Si verò hyems australis, & pluuiosa, & placida fuerit: ver autem siccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver* incidit, *ex quacunque occasione abortiunt: quę verò pariunt, imbecilles & morbidos infantes edunt: vt vel statim intereant, vel tenues & valetudinarij viuant. Cæteris verò mortalibus difficultates intestinorum & lippitudines siccæ fiunt: senioribus autem destillationes quæ citò interimunt.*

13 *Si verò æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluuiosus & australis, dolores capitis hyeme fiunt, & tusses, & raucedines, atque grauedines, quibusdam autem & tabes.*

14 *Si verò aquilonius sit & siccus, his quidem qui natura sunt humidiore, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines diuturnæ, nonnullis verò & atræ biles.*

15 *Ex anni autem constitutionibus, in vniuersum siccitates imbribus sunt salubriores & minùs mortiferæ.*

16 *Morbi in pluuiarum assiduitate quidem magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, & anginæ: in siccitatibus autem tabes, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum.*

17 *Quotidianæ autem constitutiones, aquiloniæ quidem corpora densant, & firmiora & bene mobilia, & coloratiora & melius audientia reddunt, & aluos exsiccant, & oculos mordent, & si pectus dolor aliquis antè obsederit, eum adauget: at austrinæ dissoluunt corpora & humectant, capita aggrauant, auditum obtundunt, & vertigines faciunt, & oculis atque corporibus difficilem motum* præstant, *& aluos humectant.*

18 *Per tempora verò anni, vere quidem & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optimè degunt, & sani sunt maximè: æstate verò & autumno aliquò vsque senes: at reliquo autumno & hyeme, mediam ætatem agentes.*

19 *Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam tamen magis in quibusdam ipsorum, & fiunt & exacerbantur.*

20 *Vere enim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & tusses, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.*

21 *Æstate autem nonnulli horum, & febres continuæ, et ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris vlcerationes, genitalium putredines, & sudamina.*

22 *Autumno verò & plurimi æstiui* morbi fiunt, *& febres quartanæ, & erraticæ, lienis dolores, aquæ inter cutem, tabes, stillicidia vrinæ: læuitates & difficultates intestinorum, coxæ dolores, anginæ, anhelationes, voluuli, morbi comitiales, furores, & atræ biles.*

23 *Hyeme verò morbi laterales, pulmonis inflamma-*

tiones, lethargi, grauedines, raucedines, tusses, dolores pectoris & laterum, ac lumborum, capitis dolores, vertigines & apoplexiæ.

24 *In ætatibus autem talia contingunt, paruis & nuper natis puerulis oris vlcera, vomitus, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.*

25 *Ad dentiendi verò tempus accedentibus gingiuarum prurigines* fiunt: *febres, conuulsiones, alui profluuia, & maximè quum caninos edunt dentes, & his* præsertim *pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.*

26 *Quum verò iam magis adoleuerint, tonsillæ, vertebræ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè antedicta.*

27 *Grandioribus autem adhuc & ad pubertatem accedentibus, plurima ex his, & febres diuturnæ potiùs, & ex naribus profluuia sanguinis.*

28 *Plurimi autem morbi pueris iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli verò in septem mensibus, nonnulli in annis septem: nonnulli pubertati proximis. Qui verò pueris permanserint, nec circa pubertatem finiti fuerint, aut fœminis quum menstrua erumpunt, inueterascere consueuerunt.*

29 *Iuuenibus autem sanguinis sputiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales, & alij, sed præcipuè antedicti.*

30 *Vltra hanc ætatem progressis crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, alui diuturna profluuia, choleræ, difficultates intestinorum, læuitates eorundem, hæmorroides.*

31 *Senibus ſpirandi difficultates, diſtillationes cum tuſſi, vrinæ ſtillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum vitia, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.*

VSVS PER EXEMPLA METHODI

TERTIÆ SECTIONIS.



Via à ſpiritu & dieta omnes procreantur affectiones in primis duobus libris, quæ ad dietam pertinent executus eſt, in hoc verò tertio, quæ à ſpiritu procreantur: nam qualis aër tales ſpiritus, quales ſpiritus tales humores, quales humores tales partes ſolidę corporiſque robur atque temperamentum, talis morbi ſimilaris conditio. Similíque modo, qualis dieta tale calidum innatum, quale calidum innatum talis actio partium organicarum facultatumque animę præſtantia, qualis denique facultatum animę prętantia, talis morbi organici conditio.

Ad hęc in genere mutationi ſunt obnoxia aëris ambientis amplitudo, temperamẽtum corporis & morbi conditio per vim manifeſtam temporum aut occultam influentiarũ: ita mutationibus ſunt obnoxia victus ratio, humorum craſis & cauſa morbifica per vim manifeſtam ętatum aut occultam caloris inſiti. Erit igitur mira aëris analogia cum victus ratione, tẽperamenti partium ſolidarum cum humorum craſi,

morbosæ constitutionis cum causa morbifica, vis manifestæ temporum, cum vi manifesta ætatum, denique vis occultę influentiarum cum vi occulta calidi innati, vt sit summus consensus vitalis facultatis cum igne & aëre, naturalis cum terra & aqua, animalis cum virtute cœlesti. A quibus duæ causę omnium præcipuæ morborum efficientes pendent, vna videlicet sensibus imperceptibilis, quę partim à superiori radice, nempe noua syderum commixtione & influentia, partim à radice inferiore, vaporibus, & exhalationibus pestiferis: altera sensibus peruia, nempe alimenta è variis terrę frugibus & animantibus: item potus è variis aquarũ generibus, ex quibus, etiamsi Aesculapius ipse, aut Deus aliquis legitimũ vsum pręscriberet, fieri tamen non potest, quę ex illis percipitur vtilitas tandẽ naturę nostrę vim non inferat, Luna pręsertim quę terris propior est & claritatis conspicuę vim suam efficacissimam post Solem in hęc inferiora dimittit, ac potissimum in aquas & animaliũ humores. Adde quod ipsa celestium velut index suffragiorum, & quasi vrna quædam & conceptaculum suos radios cum solaribus coniungit, ac propterea mutationes siue periculosas siue salutares efficaciùs in hæc inferiora promit. Sol etiam aëris moderator, oriens ab ortu ventos, occiduus ab occasu excitare solet, cum verò declinat ad austrum australes, cum ad aquilonem recurrit aquilonios, cum ęquatoris circulum subit subsolanos & fauonios ciere consueuit: denique venti à dextris ad sinistra Solis in modũ feruntur, vt Occeanus vniuersus ad motum ordinarium Lunæ. His motibus concitatus aër, siue à nobis inspiratus, siue etiam tran-

ſpiratus ſiue etiam inſpiratus, qualitate ſua nos immutat vel manifeſta, calore, frigore, ſiccitate vel humore ab aquis vel ventis contracta, ſiue aliunde, vt à maligna ſyderum cõmixtione, vnde morbi epidemij, qui paſſim in vulgus graſſantur. His adde concitatos è terræ ſpeluncis halitus; item aquarum ſtagnantum tetros vapores, qui ſuis inquinant aëra qualitatibus exitioſis, vnde inſpiratione & vſu vita oppugnatur, carpiturque vario morborum genere, & illo maxime, quod aliquibus incolis eſt familiare, vt Hiſpanis ſtrumæ, Alpinis bronchocele, Occitaniæ tabes, ob id endemij appellati. Obſeruãdę igitur aëris differentiæ, item differentiarum cauſę & ſigna, vt iuſto moderamine ſpiritus noſtros à tanta labe puros vindicemus.

Aëris igitur differentiæ aliæ à ſubſtãtia, alię à qualitate & motu diſtinguntur: à ſubſtantia dicitur craſſus, tenuis aut mediocris: à contentis nubibus, pluuijs, grandine, niuibus & fumis, nubiloſus, pluuioſus, grãdinoſus, niuoſus & fumidus: à qualitate manifeſta, calidus, frigidus, temperatus, item ſiccus, humidus, moderatus: ab occulta peſtilens, venenatus, contaminatus: à motu & quiete ventoſus, tranquillus &c. Cauſæ aëreę craſſitudinis ſunt, diſtantia ſolis à vertice, vt in hyeme, tenuitatis vicinitas eiuſdem verticis vt in ęſtate. Nebulæ, fumi & pluuiæ à vaporibus vi Lunæ ſurſum ſublatis: calor & ſiccitas à Sole & Marte: frigus & humiditas à Saturno & Luna: motus à Sole & Mercurio: ſerenitas à Venere. Signa mutationis aëris alia ſunt proxima, alia remota: proxima apud Virgiliũ reperies & Miſardũ. Remota ſubiecta patebunt tabella.

in

in qua aſpectus planetarum inter ſe & ad Lunam pro aeris mutatione è Schonnero adiunximus.

	☾	☿	♀	☉	♂	♃	
♄	Tur um. Nub.re. c. Neb. prui. Nix.	Vent. plu. Ven. Imb. Ven. imbr. Vent. nix.	Plu. frigus Imbres. Pluuias. Frig. niues	Pluu. frig. Gran. ton. Pruin. frig. Nubes nix	Pluu. turb Ton. gran. Pluu turb. Re. fri. tur	Turbida. Gr. to. tēp Ven. piuu. Tur. nebu.	Veris. Aeſtat. Autum Hyem.
♃	Aeris tēp.	Vēt. mag.	Tēp. aeris.	Ven. tonit. Fulgura Venti. Rem. frig.	Turb. ven. Ton. temp Turb. ven. Rem. frig.	Veris Aeſtat. Autum. Hyem.	
♂	Tonat & fulg. in æſtat. minuit frigus hye.	Vent. nub. in aeſtate tonat.	Pluuia. Imber. Pluuia Remiſ. fri	Ven sicc. Ton. fulm. Ven. sicc. Rem. frig.	Veris. Aeſtat. Autū. Hyem.		
☉	Alterat aera pro natura tēporis	Ven. aliq. cū hum. in ſig. hum. in plu. plu.	Plu. & tonubes plu. cum humiditate.	Aeris Aeſtat. Autū. Hyem.			
♀	Hum. vel neb. remis. cal. nebul. turb. vel ni.	Ventos humidos vel ſaltem nebulas	Veris Aeſtat. Autū. Hyem.				
☿	Aliquādo ventos nubiferos.	Veris. Aeſtat. Autū. Hyem.					

Vſus præcedentis tabellæ talis eſſe debet. Sume aſpectus planetarum coniunctionis, oppoſitionis, aut quadraturę ex ephemeride, quorum virturem ſuper aëre ſcire deſideras in quouis tēpore, hos quære in angulo communi, in quo inuenies quæ futura ſit aëris mutatio ſecundum tempus anni in dextris deſignatum quadrangulis.

Quocirca ſi in morbis humorum & ſpirituum motum aut quietem ex aëris mutationibus ſcire deſideras, præcedenti vtere tabella in qua aëris mutationes non tantum è Luna & Sole, ſed etiam è reliquis planetis, quorum vi & influentia quæcunque ſunt in cor-

corporibus nostris reguntur. Qualis autem & humorum & spirituũ sit motus docebit in hac sectione. Hippocrates. 1.

Ab aëre Hippocrates ad temperamentum & crasin humorum, quam naturam vocat, transit. Sunt autem nouem temperamentorum genera, quæ permixtionis elementaris differentias & proprietates consequũtur. Vnum temperatissimũ, quod paribus conflatum portionibus extremorum medium possidet: intemperata octo, simplicia quatuor, totidem composita. Differentiarum causa efficiens primigenia natura tum ætas, quæ illi comes est indiuidua, materia ex elementari permixtione, forma ex eorumdem qualitatũ concentu, vel forma est temperamentum totius ex multis conflatum particulis. Horum signa in singulis corporis humani partibus inuenies apud Galenum in libro de arte. Communes temperamentorum affectiones sunt mutatio per ętates: nam vitę ingressus, vt omnis animans ex semine & sanguine fluxis humidísque rebus nuper genitus est, ita & humidissimus videri potest. Hinc in dies longiùs procedens plus plusque siccatur & arescit, vt cum extremam senectutem attigerit nonmodò ossa arida sint & humoris expertia, sed etiam caro neruosa atque dura. Vnde intelligitur, quod in medio extremorum situm est tempus, id quoque humoris summæque siccitatis esse particeps. Quod verò alterius est oppositionis, animal statim cum in lucem editum est ingenti calore affluit & quodammodo immutabile persistit ad medium vitę cursum, hinc sensim languescit in extremum, quòd est omnium frigidissimum & iam morti simile.

Crasis humorum ita pene se habet, vt qualitates temperamenti, nam per primum tempus & ætatis & anni, vtpote in pueritia veréque sanguis abundat, in ætatis autem progressu & ęstate bilis flaua, in prouecta & autumno atra, senectuti autem & hyemi pituita.

Horum dux & moderator calor ęthereus in humido primigenio & ætatum cursu & anni temporibus & regionũ varietate simili ferè mutationi obnoxius est: etenim hyeme copiosa in nobis substantia caloris affluit, æstate verò dispersa decidit. Ver & autumnus istorum moderationem quandam inuehunt. Item quantò ad austrum & medium illum circulum, qui Solis ardore torretur accedũt homines, tantò illis inest parcior calidi innati substantia: contrà quantò ad aquilonem vergunt, tantò suis corporibus abundant innati calidi substantia. Consimili ratione calido innato excellunt infantes, quod tamen paulatim marcessit, donec in extremo senio languidum contabescat. 2.

Idem nunc de morbis & ætatibus docet Hippocrates, quod præcedenti aphorismo de natura, vnde nomenclaturæ epidemicorum morborum affatim suppeditantur: nam alij dicuntur verni, æstiui, autumnales & hyemales ab anni partibus: alij pueriles & seniles ab ætate: alij Hispanici, Anglici, à regione: alij pituitosi, biliosi ab humore prædominante: & cuiusque generis rursus alij sunt acuti, alij diuturni: alij increscentes & alij syntrophi, vt fuerit cuiusque hominis natura, ętas, soli & cœli conditio, tum etiam victus ratio. 3.

Et hæc in genere de aëre, temperamento & conditione morbi Hippocrates docuit. nunc verò in ſpecie à 4. aphoriſmo ad 23. quomodo aër immutetur per vim manifeſtam temporum præpoſtero naturæ motu aut ordinato. Præpoſtero à 4. ad 17. ordinato è 18. incluſiuè ad 23.

Vſus ſequentium aphoriſmorum ad decimum vſque erit in prædicendo ex inæqualitate temporis inæqualitatem ſymptomaton, paroxiſmorum, periodorum, & criſium in morbis acutis: nam in quinto, quid vi morbi, quid vi cauſarum externarum conſueuit euenire docetur diſcernere, ne veri & falſi ſimilitudine decipiamur in criſibus, in quibus ſimilia plerumque ſymptomata ſolent accedere, quare ingruentibus aquiloniis aut auſtralibus ventis talia ſunt prædicenda non à motu materiæ morbificæ, ſed à motu aëris, qui nihil aliud eſt quam ventus. Sextus externi beneficij commoditatem in febribus indicat, quæ ſudoribus iudicantur. Septimus prędicit procreationem bilis, vnde febres acutæ & eſſentiales, vel pituitę, vnde morbi longi ex anni conſtitutione ad talem generationẽ diſpoſita. Octauus ab anni temperie aut intemperie, qui morbi ſunt ſecũdi aut ſiniſtri iudicij. Nonus, quę in præcedenti generali ſententia complexus eſt, hîc ſigillatim exponit & veri autumnum opponit, vt oppoſiti iuxta ſepoſitum virtus magis eluceſcat. Exitioſos autem fieri morbos in autumno cõtingit propter inęqualitatem temporis, aſſatos humores, virium infirmitatem, palindromen morbificæ materiæ in profunditatem corporis, & fructuũ ferè omnium eſum. Damnauit Hippocrates in præcedenti aphoriſmo autumni naturam ob generationem prauę ma-

teriæ, in præsenti ob paroxismorum violentiam, que non parcit extrema macie consumptis. Quinque præcedentes aphorismi nempe 6. 7. 8. 9. & 10. ad promotionem crisis respiciunt, quatuor sequẽtes ad futurorum morborum prænotionem: quę sigillatim in pręcedentibus exposuit generaliter concludit in 15. 16. & 17. In 18. de consentaneis valetudini & ętatibus: nam similia similibus foueri, & contraria contrarijs temperari axioma est Hippocraticum, vnde fit, vt qui sunt temperamento calido & humido, vt pueri, verno tempore se bene habeãt similique conseruentur: qui verò frigido & pituitoso, quę ad morbosam corporis constitutionẽ accedunt, aestati, vti senes, se meliùs habent, iuuenes autem hyemi. Sic maximè contraria sunt bonis pessima, malis vero optima. In 19. continetur pręfatio ad sequẽtes quatuor aphorismos, quibus peculiares cuique tempori morbos enumerat.


Descripsit hactenus morbos tempestatibus familiares, nunc à 24. ad finem sectionis, qui in diuersis ætatibus fiunt, ab infantibus seu puerulis auspicatus ordine recenset. Huius autem ordinis constitutio est in anabasi caloris insiti ad illius stasin, in quà omnium facultatũ præstantia consistit, à qua mox per catabasin caloris insiti ad senectutem deuoluitur. Hæc autem anabasis ad catabasin septenariis dierum, hebdomadon, mensium & annorum iudicatur, in quibus maximæ fiunt corporum mutationes & ætatum nomenclaturæ. Quinetiam morborum per singulas ætates noui exortus & occasus certis naturæ legibus intercedunt. Plurimi autẽ, vt à pueris incepit, morbi diuturni iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus: nonnulli verò in septem mensibus, quidam in

ſeptem annis. Ex diebus autem quadrageſimus, primus eſt morborum diuturnorum decretorius, vltimus verò eorum, qui ἐξ μεταπτώσεως ſunt acuti: ſicuti etiam ſupra notauimus. Quicunque verò hunc tranſcendunt numerum, ſecundum ſeptenarij habent iudicium: non ſeptem iam diebus connumeratis, ſed primum quidem menſibus, deinde annis. Qui hoc tempus tranſcendunt, ad quatuor decimum annum peruenire manifeſtum eſt: nam ſecundus ſeptenarius hoc continetur tempore: & aliæ cum pubertate magnę fiunt corporis commutationes, in fœminis maximè propter menſtruorum eruptiones. Quare ſi cui morbi ne hac quidem ætate finiuntur, vſque ad longum tempus perdurare conſueuerunt. Hæc Galenus.


Vſus præcedentium aphoriſmorum verſatur in cautione morborum, qui per ſingula anni tempora & vitæ humanę ætates contingunt: nam in priori parte, quæ fuit de mutationibus per ſingula anni tempora ætiologicen explicat, ideſt cauſas efficientes, quæ magnam vim habent in corporibus noſtris afficiendis, ſecundum materiæ in eis diſpoſitionem, ſine qua efficientes cauſæ, quantumuis validæ, nihil aut parum nocere poſſunt. In ſecunda, vbi de morbis, qui per ſingulas ætates corpora inuadunt, prophylacticen, quæ eſt de præcautione euentuum, explicat, vt non tantùm, quid ſingulis anni partibus faciendum aut euitandum ſit intelligamus, ſed etiam, qua victus ratione naturam noſtram regere per totum vitæ noſtræ tempus poſſimus. Quia verò neque pręcauere cauſas morborum effectrices ſine prænotione nón poſſumus, ob id in principio maximè Prognoſticen in futuras criſes & euentus morborum explicauit.

SYNOPSIS
METHODI
DOCTRINAE
HIPPOCRATICÆ
IN QVARTAM
SECTIONEM APHO-
RISMORVM.

QVID CONSEQVITVR CAVSARVM PROcatarcticarum prognosin? Internarum diagnosis, excluduntur autem excretione. Quomodo?




Spontanea per
Symptomaticā
Syntexincum
Bile nigra
Quomodo.21.
Quando.22.
Quò
Vndequaque. 23.
Infernè.24.
Sanguine
Per os, sedem, aut vterum. 25.
Per sedem tantùm cum carunculis.26.
Vndequaque.27.
Bile flaua cum palindrome. 28.
Metastasin
Decubitus
Torpor, vnde rigores. 29.
Cōtumacia, vnde pares reditus. 30.
Abscessus
Apertus.
Consequens
Febricit 31.
Conualesc. 32.
Antecedens morbum. 33.
Latens. 34.35.
Criticā
Eccrisin in febribus
Cum remissione
Ad tempus.36.
Ad speciē
Qualitas sudoris critici calida & humida.37.
quātitas
ephidrosis
Partis
Cū pauco humore.38
cumparco calore.39.
Totius per qual. repugn.40.
Copiosus
In sanis.41.
In ægris 42.
Sine intermissione.43.
Lysin
Per abscessus.
In febribus.44.
Post febres.45.
Per decubitum, vt in paraplegia.



Cautione inter moliendum,

- A morbi magnitudine per signa epiginomena
  - Mortis
    - Certæ qualis.
      - A simplicibus affectibus.
        - Rigor frequēs symptomaticus per inæqualem panniculi carnosi concussionem. 46.
        - Sputi in colore & odore improbitas. 47.
        - Sitis cum ardore. 48.
      - A facultate deprauat.
        - Conuulsis musculis aut inæqualiter resolutis in facie. 49.
        - Dyspnœa cum delyrio. 50.
    - Dubię qualis
      - Ab excretis & retentis.
        - Absessus in partem materiæ minimè capacem. 51.
        - Lacrymæ inuitæ præsertim in causo. 52.
        - Lentores dentium nigri. 53.
        - Tussis sicca. 54.
        - Bubo epiginomenus febri. 55.
        - Sudor perennis. 56.
      - Ab analogia
        - Morbi cum morbo. 57.
        - Symptomatis cum morbo. 58.
  - Salutis
    - Certæ in intermittentibus
      - à theorematibus criticis
        - Ad tempus.
          - Periodi ratio in intermittentibus. 59.
          - Surditas perturbatio critica. 60.
          - Patoxismi ratio in continuis. 61.
        - Ad speciem
          - Icterus, qui non fuit significatus. 62.
          - Rigor criticus in intermittentibus. 63.
          - Icterus criticus siue significatus. 64.
    - dubię in continuis
      - Aluinum incendium cum cardiogmo. 65.
      - Spasmus
        - Cum dolore 66.
        - Cum pauore. 67.
      - Spiratio illisa. 68.
- A viribus ægri.
  - Naturalibus vrinas
    - Excretis.
      - Quatenus ad salutē vel mortē spectāt
        - Substātia secretionis
          - Particeps
            - Alieni humoris permistione, 69.
            - Propriæ subst. corrupt. 70.
          - Expers, &c.
        - Contenta nubecula, eneorema, hypostasis. 71. Color albus, pallidus flauus, rufus, niger. 72. Copia multa pauca, mediocris. 73. Consistentia crassa, tenuis, &c. 74.
      - Quatenus sūt notæ partiū vnde manāt
        - Sanguis & pus. 75. Caruncula & capilli. 76. Furfures. 77. Sanguinis mictus. 78. Arenulæ. 79. Thrōbus sanguinis. 80. Squamulæ. 81. Tuberculū in meatu vrinario. 82. Deriuatio deiectionis per vrinas. 83.
    - Retentis.
  - Vitalibus per pulsum, quem vide in Polycleti regul.

SECTIO QVARTA.

1 *VTERVM gerentes medicamentis purgare, si* materia *turget, quarto mense, & vsque ad septimum: sed has minus: Iuniores autem & seniores vereri oportet.*

2 *In medicamentorum purgantium* vsu *talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia vtilia: contrario verò modo prodeuntia, sistere* oportet.

3 *Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, et leuiter ferunt: contraria verò, grauiter.*

4 *Medicamentis purgandi æstate quidem superiores magis* ventres, *hyeme verò inferiores.*

5 *Sub cane, et ante canem, difficiles sunt purgationes.*

6 *Graciles et facilè vomentes purgare* oportet *per superiora, cauentes hyemem.*

7 *Vomentes verò difficulter, et mediocriter carnosas, per inferiora, cauentes æstatem.*

8 *Tabidos verò, cauentes purgationes per superiora.*

9 *Melancholicos pleniùs per inferiora, eadem ratione contraria apponentes.*

10 *Medicamento purgante vtendum in valde acutis, si* materia *turget, eadem die: tardare enim in talibus, malum* est.

11 *Quibus tormina, & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur, in aquam intercutem siccam firmatur.*

12 *Quorum alui intestinorum læuitate laborant hyberno tempore* hos *sursum purgare, malum.*

13 *Ad elleboros qui non facilè sursum purgantur, eo-*

rum corpora ante potionem largiori cibo atque quiete præhumectanda sunt.

14 Quum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporum ducendus magis est, ad somnos verò atque quietem minùs. Indicat autem & nauigatio motione corpora turbari.

15 Quum volueris magis ducere elleborum, moue corpus: quum verò sistere, somnum concilia, nec moue.

16 Carnes sanas habentibus elleborus periculosus: ingenerat enim conuulsionem.

17 Si febrem non habenti cibi fastidium & oris ventriculi rosio, & vertigo, & oris amaritudo affuerint, purgatione indigere per superiora significant.

18 *Supra septum transuersum dolores quibus purgatione opus est, purgatione indigere per superiora significant: quicunque verò infra* sunt, *per inferiora.*

19 *Qui in medicamentorum potionibus quum purgantur, non sitiunt, non desinunt priusquam sitiant.*

20 *Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, deorsum purgari oportere significant.*

21 *Deiectiones nigræ, qualis* est *sanguis niger, sponte prodeuntes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores fuerint plures, eo peius, cum medicamento verò melius, & quanto colores plures, non praui.*

22 Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel suprà, vel infrà exierit, lethale.

23 Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, bilis nigra, aut velut sanguis niger subter exierit, postridie moriuntur.

24 Difficultas intestinorum, si ab atra bile incipiat, le-

thalis est.

25 *Sanguis quidem suprà* excretus, *qualiscunque fuerit, malus: infrà autem, si niger exeat, bonus* est.

26 *A difficultate intestinorum vexato, si veluti caruncula exierint, lethale* est.

27 *Quibus in febribus sanguinis copia fluxerit quacunque ex parte, quum reficiuntur, alui his humectantur.*

28 *Quibus biliosæ deiectiones* sunt, *superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis cessat.*

29 *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, mali* sunt *iudicij.*

30 *Quibus accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem postero die repetat, iudicatio difficilis.*

31 *Quibus lassitudinis sensus est in febribus,* iis *ad articulos & iuxta maxillas potissimum abscessus fiunt.*

32 *Quibus ex morbis conualescentibus pars aliqua laborat* (vel *dolet*) *illic abscessus fiunt.*

33 *Sed & si ante morbum pars quæpiam laborauerit, in eam morbus decumbit.*

34 *Si febre detento suffocatio repentè superuenerit, nullo faucibus apparente tumore, lethale.*

35 *Si febre detento repentè collum peruersum fuerit, ac vix deglutire possit, sine vllo tumore, lethale* est.

36 *Sudores febricitantibus boni, qui* manare *cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vicesimoprimo, vicesimoseptimo, tricesimoquarto: ij enim sudores morbos iudicant. Qui verò non ita fiunt, laborem, & morbi longitudinem, & recidiuas significant.*

37 *Frigidi sudores, cum febre quidem acuta, mortem:*

cum mitiori autem morbi longitudinem significant.

38 *Et qua corporis parte sudor est, ibi significat morbum.*

39 *Et qua parte corporis inest calor aut frigus, ibi morbus.*

40 *Et vbi in toto corpore mutationes* fiunt, *& si corpus refrigeretur, vel vicissim calefiat, vel color alius ex alio oriatur, longitudinem morbi significant.*

41 *Sudor multus ex somno factus absque aliqua causa manifesta, copiosiore cibo corpus vti significat: quòd si cibũ non accipienti hoc accidat, quòd egeat vacuatione significat.*

42 *Sudor multus, frigidus, calidúsve semper fluens, frigidus maiorem, calidus minorem, morbum significat.*

43 *Febres quæ non intermittentes die tertio vehementiores fiunt, periculosiores: quoquo modo autem intermiserint, periculum abesse significant.*

44 *Quibus febres longæ, ijs tubercula ad articulos, vel dolores fiunt.*

45 *Quibus tubercula ad articulos, vel dolores post febres diuturnas fiunt, ij cibis pluribus vtuntur.*

46 *Si rigor incidat febre non intermittente* in *ægrum iam debilem, lethale* est.

47 *Excretiones in febribus non intermittẽtibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ: bene tamen si exeant bonæ:* Sic & quę *per aluum excernuntur, &* quæ *per vrinas. Si quid verò eorum quæ non iuuant per hæc loca excernatur, malum.*

48 *In febribus non intermittentibus si partes externæ frigidæ sint, internæ vrantur & sitiant, lethale* est.

49 *In febre non intermittente si labrum, aut superci-*

lium, aut oculus aut nasus peruertatur, si non videat, si non audiat, debili iam corpore, quicquid horum euenerit, in propinquo mors est.

50 *Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit, lethale* est.

51 *In febribus abscessus qui ad primas iudicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant.*

52 *Quibus in febribus vel in aliis morbis voluntariè illacrymant oculi, nihil absurdi est: quibus verò præter voluntatem, absurdius.*

53 *Quibus in febribus circa dentes lentores obnascuntur,* ijs *vehementiores fiunt febres.*

54 *Quibus plurimum tusses siccæ, leuiter irritantes, in febribus ardentibus* fiunt, ij *non multum siti infestantur.*

55 *Ab inguinum* (seu *glandularum*) *tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.*

56 *Febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & multam humiditatem* in esse *significat.*

57 *A spasmo aut tenano vexato febris si accesserit, morbum soluit.*

58 *Febre ardente occupato rigor si superueniat, solutio fit.*

59 *Tertiana* febris *exquisita septenis ad summum circuitibus iudicatur.*

60 *Quibus febricitantibus aures obsurduerint*, iis *sanguis è naribus profluens, aut aluus perturbata, soluit morbum.*

61 *Febricitãtem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reuerti.*

62 *Quibus febricitantibus morbus regius superuenerit ante diem septimum, malum.*

63 *Quibus in febribus quotidie rigores repetunt, quotidie febres soluuntur.*

64 *Quibus in febribus morbus regius die septimo, vel nono, vel vndecimo, vel decimoquarto, superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit: alioqui minimè bonum.*

65 *In febribus circa ventriculum vehemens æstus & cordis* (vel *stomachi*) *morsus, malum.*

66 *In acutis febribus conuulsiones & circa viscera vehementes dolores, malum.*

67 *In febribus ex somno timores vel conuulsiones, malum.*

68 *In febribus spiritus offendens, malum: conuulsionem enim significat.*

69 *Quibus febris non expertibus vrinæ sunt crassæ, grumosæ, paucæ, si post has copia tenuis succedat, iuuat. Maximè verò tales prodeunt, quibus ab initio, vel paulò pòst sedimentum inest.*

70 *Quibus verò in febribus vrinæ perturbatæ, quales iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.*

71 *Quibus die septimo* morbi *iudicantur, iis vrina rubram die quarto nubeculam habet, & alia pro ratione.*

72 *Quibus pellucidæ* & *albæ* sunt *vrinæ malæ: maximè verò in phreniticis apparent.*

73 *Quibus hypochondria suspensa murmurant, lumborum superueniente dolore, iis alui humectantur, nisi infernè flatus erumpant, aut vrinæ multitudo prodeat: hæc verò* accidunt *in febribus.*

74 *Quibus spes* est *ad articulos abscessum futurum,*

abſceſſu liberat vrina multa, craſſa, & alba reddita, qualis in febribus laborioſis quatro die quibuſdam prodire incipit, ſi verò etiam ex naribus ſanguis fluxerit, tum breui admodum ſolutio fit.

Si ſanguinem aut pus quis *meiat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.*

76 *Quibus cum vrina craſſa paruæ carunculæ, aut veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernuntur.*

77 *Quibus cum vrina craſſa, furfurea quædam ſimul minguntur, his veſica ſcabie laborat.*

78 *Qui ſponte ſanguinem meiunt, iis à renibus venulam ruptam* eſſe *ſignificatur.*

79 *Quibus in vrina ſubſident arenoſa, iis veſica calculo laborat.*

80 *Si* quis *ſanguinem & grumos meiat, & ſtillicidio vrinæ laboret, & dolor ad imum ventrem & interfemineum incidat, ea quæ circũ veſicam* ſunt, *laborant.*

81 *Si ſanguinem, & pus, ſquamulas meiat, & grauis odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.*

82 *Quibus in fiſtula vrinaria tuberculum naſcitur, iis, ſuppuratione & eruptione facta, ſolutio* fit.

83 *Mictio noctu multa ſi fiat, parcam alui deiectionem ſignificat.*

VSVS PER EXEMPLA METHODI

QVARTAE SECTIONIS.



Via homines acutis laborantes morbis in ſummo verſantur vitæ diſcrimine niſi tutò citò, & iucundè, illis prouiſum ſit, ideo Hippocrates in duabus primis ſectionibus ſtatim de morbis acutis breues ſententias conſcripſit, quibus partim vigenti morbo prouideamus, vt in priore, partim ſuperato aut recidiuo materiam ſuperſtitem aut ſuccreſcentem reſcindamus, vt in ſecunda: in priore de primogenijs, quorum maior eſt vrgentia, in altera de ſpurijs, in quibus minus laborandum, vt qui ſint minus periculoſi. Vt autem connectuntur duæ priores per acutorum diſtributionem, quorum primigenij ad primam, è metaptoſeos ad ſecundam, ita tertia ſectio prioribus connectitur ſubiectarum rerum non naturalium affinitate. Vocamus autem res non natureles, quæ extra corporis noſtri conſtitutionem exiſtunt, nempe alimenta, quibus veſcimur, & aëra, quem inſpiramus, quorum vſu & abuſu corpus noſtrum non leuiter de ſua decedit integrititate, cum humorum fluxus ab alimentis & ſpirituum exhalatio ab aëre veluti pabulis proportionatis reficiantur, & quorum prauitate non parua illis inferatur iniuria, non ſecus ac bonitate vtilitas. Ideo cum in prima ſectione victus rationem vigente morbo, in ſecunda reficiendi occaſionem eodem ſuperato, aëris quoque

inſpirationem & expirationem in tertia ſubiecit ſectione: nam qualis aër tales ſpiritus, quales ſpiritus tales humores, quales humores, talis corporis noſtri conſtitutio per anni partes & ætates. Ergo vt à propoſito negotio non recedamus, quæ fuit præcedentium ſectionum connexio, talem in ſequentibus comperiemus, maximè autem quartæ cum præcedentibus, in qua genus omne materiæ morbificę explicatur. Nam cum triplex ſit cauſa efficiens, principalis, adiuuans, & ſine qua non: principalis ſiue procatarctica ea erit, quæ alimentis, quibus veſcimur, & aëre, quem inſpiramus, corpus noſtrum afficit, de qua in præcedentibus ſectionibus: adiuuans verò ea eſt, quæ humorum plethora aut cachochymia, tenuitate aut craſſitie corpus labefactat, de qua in præſenti ſectione: ſine qua non, partis conditio robore aut debilitate metienda, de qua in quinta. Itaque efficientē morborum cauſam partim extra nos poſitam, nempe vim per vniuerſam naturam diffuſam, quæ manifeſtis aut occultis qualitatibus, velut inſtrumentis, ſanitatatem noſtram oppugnat, manifeſtis in aëre & alimentis, occultis in elementorum repugnantia & caloris inſiti efficientia: partim intra nos poſitam, in qua efficiens incumbens, ſecundùm variam, quam habet diſpoſitionem, partes corporis oppugnat, aut facultatum læſione, aut excretorum ametria, aut ſimplicibus affectibus. In tertia ergo ſectione, quibus modis illa materia de corpore deturbetur, ſiue vi naturæ morborum curatricis, ſiue vi medicamenti naturam auxiliantis, ſiue vi morbi naturam expugnantis. Ergo prȩclarè Hippocrates cauſarum effi-

cientiam in quatuor pręcedentibus ſectionibus explicauit. Quia verò appulſu morbificę materiæ febres generantur, & eiuſdem excluſione depelluntur, data occaſione, quam in primis duabus ſectionibus explicationem de febribus ſuſceperat, hîc miro doctrinæ artificio tranſtulit, parcè vel nihil de acutis, quia de his ſatis in principio, niſi quatenus eſt quædam continuatum cum intermittentibus conſecutio. Adde etiam quod ſigna materiæ peptica & criſima hîc non omiſerit, cum de more illis ſua ſcripta ſiue per pręcepta, ſiue per theoremata inferciat, non minus ad doctrinam facere arbitratus, quam ad vitam ſanguinem per vniuerſam corporis molem diffuſum, ſed etiam pathognomonica & prognoſtica, quibus partim febres dignoſcuntur, partim ſuum exitum manifeſtant. In quinta ab vniuerſali ad particularem doctrinam ſe cõferens de morbis κατὰ τόπους breuiter & ſummatim quaſi præuius ſumma illorum indicat genera ſeu formas. Conuertitur autem cum quarta ſectione cauſarum affinitate, quæ ſub eodem genere continentur, quia illic de cauſa antecedente, hîc de coniuncta: illic rurſus de cauſa adiuuante, hîc de ea, ſine qua non: illic denique de morbis totius, febre videlicet, hîc de partium affectionibus. Hactenus de primigenijs, in quo genere ſunt febres & partes affectæ: nunc in poſterioribus ſectionibus de omni affectu epiginomeno ſiue morbus morbo, ſymptoma ſymptomati, aut morbus ſymptomati & contra ſuperueniat. Differt autem ſexta ſectio à ſeptima, quia in ea eſt cauſarum conſecutio à priori, in ſeptima affectuum à poſteriori: ſic intemperies ventriculi frigida & humida cauſa

est cruditatis, cruditas verò lienteriæ: contra lienteria est affectus cruditatis, cruditas vero intemperiei frigidæ & humidæ ventriculi. Item in sexta partium robur aut infirmitas spectantur, in septima functionum læsio: rursus in sexta humoris motus, in septima motionis exitus: in sexta denique causarum impetum, in septima symptomatum vrgentiam.

Vsus præcedentium talis esto. Prima huius sectionis diuisio est in molitioné & cautionem: molitio est artificiosa aut nō artificiosa: artificiosa perficitur axiomatibus & præceptis. Axiomata sunt tria, quorum primum est cautionis, secundum imitationis, tertium exclusionis. Quod ad primum attinet, non videtur primus aphorismus ea ratione hîc positus, qua 29. quintæ sectionis, quia illic specialem fœminarum cautionem spectauit Hippocrates, hîc verò generalem, eo tanquam familiari exéplo vsus ad humorem peccantem, affectum & peculiarem naturam eius, cui medicina adhibetur. In secundo aphorismo sectionis primę secundi haud absimili, nobis proponitur natura imitanda, nec ab re repetitur, cum illic quid agendum esset in morbis acutis, hîc verò, quid fieri debeat in longis, doceatur. Ad hæc, in disquisitione triplicis euacuationis criticę, symptomaticę & artificiosæ opus erat certis differentijs, quibus vnam ab alia distingueremus: hoc aphorismo ergò distinguitur artificosa à symptomatica, quemadmodum sequenti, cuius eadem est ratio cum tertio primæ sectionis, critica à symptomatica, nempe ex notis rediuidantium humorum & tollerantia.

A quarto ad vigesimum continétur præcepta mo-

litionis artificiciosæ, quibus quid in ægris, & neutris purgandis fieri debeat dicetur, & in singulis quid precedere, quid consequi oporteat, quid præterea opportunè aut cum difficultate moliendum. Itaque de modo & occasione purgationis, item de cautione & præparatione humorum ante purgationem, de refrenatione aut concitatione medicamenti post purgationem ampliter differit. Quinetiam aliam esse sanorum, aliam ægrorum, aliam neutrorum purgandi rationem & scopum, ijsque artificiosam euacuationem absoluit modis.

Cautio inter moliendum altera huius sectionis pars à morbi magnitudine & ægri viribus signa perscrutatur, quibus futuros euentus prenunciat: nam mortis & salutis signa magna ex parte cousistunt in comparatione morbi & naturæ: nam si morbus intendatur, vires minuantur coniectura est ægrum moriturum, si verò naturæ victoria ex virium robore declaretur breui conualiturum. Itaque medicus certantis nature cum morbo spectator, primũ obseruabit naturam & conditionem materiæ excretæ bilís-ne an sanguis, excrementi aut alterius rei sit portio, quomodo 21. quando, 22. quo 23. 24. & vnde 25. 26. 27. recursus ne sit, siue palindrome 28. an metastasis per decubitum, 29. 30. per abscessus appertos, 31. 32. 33. latentes, 34. 35. vt certam de illis possit proferre sententiam; morbique magnitudinem arguere. Nam omnis excretio symptomatica mala, cõtrà verò, que critica siue naturali motu & virium robore perficitur, optima. Distinguntur autem ab inuicem preclaris illis duobus axiomatis è principio prime sectionis sa-

pientiſſimè in huius principio repetitis. Vt autem oppoſitum iuxta ſepoſitum magis eluceſcit, ſic excretio ſymptomatica criticæ collata.

Conferat igitur medicus, ſudore pro exemplo propoſito, ſiue ſanguis, ſiue vrina, ſiue feces naturali ſpōte ferantur, materiæ ἔκκρισιν & λύσει criticam cum ſymptomatica σύλληξι & μετάστασει: item criticorum dierum naturam 36. cum genere morbi. His adde excreti qualitatem 37. quantitatem è toto aut parte, pauca, 38. 39. 40. an copioſa 41. 42. febris ne ſit acuta an intermittens 43. Item ſit ne facta metaſtaſis abſceſſu an decubitu, per febres 44. an poſt febres 45. His etenim ſic perpenſis, nunquam à ianua, vt dici ſolet, aberrabit.

Quinetiam vtrique excretioni epigenomena ſigna, ſiue ſint lethalia ſiue ſalutaria nunquam erunt prætermittenda. His enim plurimum morbi vehementia & intentio, item lenitas & remiſſio ſignificari poſſunt. In lethalium genere annumerari poſſunt, quæ certę & indubitatę ſunt pręnuncia mortis, veluti à ſimplicibus affectibus frequentes rigores, 46. ſputi in odore & calore improbitas 47. ſitis cum ardore 48. Item à facultate deprauata conuulſio aut reſolutio muſculorum in facie 49. dyſpnœa cum delyrio 50. Item ab excretis aut retentis, ſed non ita certæ & indubitate mortis, abſceſſus in partem materiæ minimè capacem 51. lacrymæ inuitæ, præſertim in cauſo 52. lentores dentium nigri 53. tuſſis ſicca 54. bubo epigenomenus febri 55. ſudor perennis 56.

In ſalutarium genere annumerari poſſunt, quæ certę & indubitatæ prænuncia ſunt ſalutis in intermit-

tentibus, veluti proportio morbi & symptomatis 57. 58. cōstantia theorematon criticorum ad tempus 59. 60. 61. ad speciem 62. 63. 64. Item dubiæ salutis 65. 66. 67. 68.

Hactenus de prima cautionis parte, quę fuit à morbi magnitudine. Altera sequitur quæ vires ægri diligenter explorat à robore aut imbecillitate facultatis. animalis, vitalis, naturalis. Animalis à sensu & motu: vitalis à pulsu & respiratione: naturalis ex appetentia & coctione. Animalis facultatis robur aut imbecillitatem primò indicabit somnus & vigilia, de quibus in principio secundę sectionis, item motus arbitrarij spontanea lassitudo, aut vltro aborta, de qua in eodem loco: vitalis facultatis robur indicabunt signa σφυγμικὰ à pulsu moderato, æquali, ordinato: imbecillitatem à pulsu immoderato, inæquali, inordinato, de quo genere nihil, aut parum Hippocrates: nam quem nos summis digitis, ille sola visus acie dicitur explorasse, in cæteris admirabilis ob incredibilem in rebus naturalibus peruestigandis diligentiam, admirabilior sanè in tanta re neglecta. Naturalis robur & imbecillitatē peptica signa à sputis, deiectionibus, sudoribus & vrinis, quatenus illa ad salutem vel mortem spectant à 69. ad 74. aut quatenus sunt notæ partium vnde manant, venarum, renum & vesicæ. à 75. ad 83.

SYNOP-


SYNOPSIS
METHODI
DOCTRINAE
HIPPOCRATICÆ

IN QVINTAM
SECTIONEM APHO-
RISMORVM.

CAVSAM INTERNAM ET ANTECEDENTEM QVID CONsequitur? *impressi mali vestigium seu causa coniuncta. Quomodo?*

- Partis situ
  - Supra diaphr.
    - Capitis
      - Cōuulsio
        - Causæ
          - Resiccatione
            - Ab Hypercatarsi. 1
            - Ab Hæmorrhagia 2
            - Ratio præcedentis. 3
            - Apotelesma præcedentium. 4
          - Humore neruos imbuente. 5
        - Species
          - Distentio sine motu vnde tetanos. 6
          - Distensio cum motu, vnde epilepsia. 7
      - Apoplexia & cōuulsio, siue spasmus, sunt morbi acutissimi quia primo quaternario crisin accipiunt: Paralysis verò & epilepsia ex decidentia longi euadunt.
    - Thoracis
      - pleuritis
        - Causæ
          - Inflammatione tunicæ costis intextæ.
          - Aut musculorum intercostalium.
        - Species
          - Vera mediastini & pluræ. 8
          - Notha musculorum intercostalium & diaphragmatis.
      - Tabes
        - Causæ
          - Sicca intemperies.
          - Humida intemperies. 9
        - Species, primaria & epiginomene: nam anginæ succedit peripneumonia, peripneumoniæ tabes. 10
        - symptomata
          - Sputum grauiter olens. 11
          - Fluxus capillorum. 12
          - Sanguis spumosus. 13
  - Infra diaphragma
    - Diarrhæa. 14
    - Suppuratio, à qua cautio practica. 15
    - Remediorum
      - efficientia
        - Modo 1.
          - Incōmoda.
            - Calidi. 16
            - Frigidi. 17.
          - Repugnantia calidi & frigidi primò & per se. 18
          - Contraria contrariis non semper curātur. 19
        - Mod. 2.
          - Frigidi incommoda 20
          - Repugnantia per accidens calidi & frigidi. 21
        - Modo 3.
          - Nullum remedium omnibus idem. 22
          - Frigidi commoda, 23.
          - Narcot.
            - Extremè frigidi incommoda, 24.
            - Vsus narcoticorum. 25.
      - Subiectum commune aqua, vinum, lac, oleum, 26
    - ventriculi
      - Affectus intemperies cal. frig. hum. sic.
      - Siccę remedia cæterarumque ducta ratione. 27.
    - Instrumentorum generationis, Vide ζ
- Affectionis modo. Vide η

- Instrumentorum generationis.
  - Mulieribus
    - Molitio
      - Artificiosa
        - Ante conceptionem.28
        - Post conception.
          - Purgatione.29
          - Phlebotomia 30
          - In morbis præsertim acutis.31
      - Spõtanea
        - Ante cõcep.
          - Per loca incommoda.32
          - Per loca commoda.33
        - Post cõcep.
          - Alui pro fluuio. 34
          - Eretismo naturali.35
    - Cautio
      - In molitione artificiosa
        - In educendis
          - Pharmacia.
            - Consilium.36
            - Cautio ab extenuatione
              - Mammæ vtriusque 37.
              - Mammæ alterius.38
          - Chirurgia
            - Conf. ab anadrome sanguinis
              - Cum pepasmo, vnde lac. 39
              - Sine pepasmo, vnde strumæ carcinomata, furor. 40
            - Cautio à coniectura
              - Cõceptione.
                - In genere.41
                - In specie 42
              - Periculi
                - Mortis à magnitudine morbi. 43
                - Aborꝰ ab habitu corporis.
                  - Tenui. 44.
                  - Mediocri. 45
                  - crasso. 46
        - In apponendis
          - Cautio in situ.
            - Vteri.47
            - Embryi.48
          - In eretismo
            - Ptarmico.49
            - cucurbitula.50
      - In molitione spontanea
        - Naturali
          - oris vterini.51
          - Mammarum.52
        - Symptomatica
          - Simplices af.
            - Mammarum.53
            - oris vterini. 54
          - Ametria
            - Coaceruatione humoris in maioribus venis.55
            - excretorum
              - menstruorum
                - Per sympathiam. 56.
                - Per anadosin, 57.
              - Vrinæ per communionem vasorum.58.
          - Consilium expetientię,59.
          - Lęsio facultatis
            - Deprauatę
              - Expultricis,60.
              - Retentricis, 61.
            - Abolitę,62.
  - Viris.



- In affectionis modo.
  - Per se primò: nam parti primo laboranti primò succurrendum est, quia, quæ condolebant, illa percurata, conualescent.
  - Consensu
    - In causarum efficientia
      - Alimentorum cum rebus altis. 64
      - Noxiæ materiæ
        - Vlceribus epiginomenis.
          - Sine tumore.
          - Cũ tumore
            - Conspicuo. 65
            - Repente euanescente
              - In anticis cata ixin lata per venas & arterias, vnde mania & pleuritis.
              - In posticis lata per neruos & musculos dorsales, vnde conuulsio. 65.
        - Vulneribus.
          - Sine tumore. 66.
          - Cum tumore molli, duro. 67.
      - Cephalalgia, in qua communio
        - Partiũ quas curat
          - Antispasis reuulsione eorum, quæ impetu feruntur. 68
          - Parocheteusis, deriuatione eorum, quæ impacta sunt.
        - Vasorum, vac'e ceneangia eorum, quæ consistũt.
    - In morborum curatione cuiusmodi proponitur
      - Conuulsio & præsertim epilepsia
        - Beneficio
          - Externo
            - Dorsi cum capite per neruos viris
            - Vteri cum lumbis per ligamẽta.
            - Lumborum & capitis per neruos mulieribus. Hinc rigoris diuersitas vtrisque ab externo frigore, qui calorem intus cogit. 69.
          - Interno, vt morbus morbo epiginomenus: nam si contraria proportione alteri respõdeat, confert, sin minus, nocet. 70.
        - Habitudine
          - Continentium, vt cutis sua raritate aut densitate materiã per sudores euaporat aut retinet. 71.
          - Contentorum, qui sua efficientia flatus resoluunt è quibus multiplices morbi. 72.

SECTIO QVINTA.

1 *Conuulsio ab elleboro, lethalis.*

2 *Conuulsio vulneri superueniens, lethalis.*

3 *Vbi copiosus sanguis fluxerit, conuulsio aut singultus superueniens, malum.*

4 *A purgatione immodica, conuulsio aut singultus superueniens, malum.*

5 *Si ebrius quispiam repentè obmutescat, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit qua crapulæ soluuntur, vocem recuperet.*

6 *Qui distentione corripiuntur, intra quatuor dies intereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt.*

7 *Comitiales morbi quibus fiunt ante pubertatem, mutationem recipiunt: quibus autem post vicesimum quintum annum, ferè commoriuntur.*

8 *Qui morbo laterali laborant, nisi intra dies quatuordecim sursum purgentur, iis ad suppurationem transitio fit.*

9 *Tabes iis maximè ætatibus fit, quæ sunt à decimooctauo anno ad tricesimumquintum.*

10 *Quibus ab angina liberatis ad pulmonem* mali *fit conuersio,* ij *intra dies septem moriuntur: si verò hos effugerint, suppurantur.*

11 *Iis qui tabi infestantur, si sputum quod extussiunt, grauiter olet carbonibus iniectum, & capilli à capite defluunt, lethale.*

12 *Quibus tabe laborantibus capilli defluunt à capite, ij alui profluuio superueniente moriuntur.*

13 Qui spumantem sanguinem expuunt, iis è pulmone eductio eiusmodi fit.

14 Tabe detento profluuium alui superueniẽte, lethale.

15 Qui ex morbo laterali suppurantur, si intra dies quadraginta ex quo ruptio facta est, sursum purgentur, liberantur, sin minus, transeunt in tabem.

16 Calidum vtentibus frequentiùs hæc adfert incommoda, carnium effœminationem, neruorum incontinentiã, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectiones: hæc quibus mors.

17 Frigidum verò, conuulsiones, distentiones, denigrationes, & rigores febriles.

18 Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò amicum.

19 Quæ refrigerata sunt, excalfacere oportet, exceptis iis quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

20 Frigidum vlceribus quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, nigritiem, rigores febriles, conuulsiones & distenctiones neruorum.

21 Est tamen vbi in distentione sine vlcere iuueni torpulento, æstate media, frigidæ multæ perfusio calorem reuocat, calor autem hæc sanat.

22 Calidum suppurationem faciens, non in omni vlcere, magnum ad securitatem indicium: cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: capitis grauitatẽ soluit: ossium verò fracturis plurimum confert, sed nudatis præcipuè: iisque maximè qui in capite vlcera (vulneráve) habent: iis etiam quæ emoriuntur aut vlcerantur à frigore, herpertibus denique exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vesicæ, his omnibus calidum amicum & indicans: frigidum inimicum & perimens.

23 *Frigido verò in ijs vti oportet, vnde fluit aut fluxurus sanguis est, non quidem supra ipsa, sed circa ea* loca *vnde influit, & si quæ inflammationes aut efferuescentiæ ad rubrum subcruentúmve* colorem *vergunt recenti sanguine, iisdem ipsis* adhibito: *nam veteribus nigredinem adfert. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat: siquidem vlceratum lædit.*

24 *Frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinis fluxiones, & destillationes efficiunt.*

25 *Articulorum autem tumores atque dolores absque vlcere, atque etiam podagricos, & conuulsiones, horum plurima, aqua frigida largè effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem, nam modicus torpor dolorē soluere potest.*

26 *Aqua quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuissima* est.

27 *Qui noctu bibere appetunt, iis admodum sitientibus, si obdormierint, bonum* est.

28 *Suffitus aromatum muliebria ducit: sæpius verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis grauitatem induceret.*

29 *Grauidas purgare* cōuenit, *si* materia *turget à quarto mense ad septimum vsque: sed has minus: iuniore autem & seniore fœtu, vereri oportet.*

30 *Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, lethale* est.

31 *Mulier vterum gerens secta vena abortit, eóque magis si sit fœtus grandior.*

32 *Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio fit.*

33 *Mulieri menstruis deficientibus, sanguis è naribus profluens, bonum est.*

Mulieri vterum gerenti si aluus multum profluat, pe-

riculum est ne abortiat.

35 Mulieri vteri strangulationibus infestatæ, aut difficulter parienti, sternutamentum superueniens, bonum.

36 Mulieri menses decolores, nec eodem semper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant esse necessariam.

37 Si mulieri vterum gerenti mammæ repentè graciles fiant, abortit.

38 Mulieri grauidæ geminos ferenti, si altera mamma fiat gracilis, alterum abortu excludit: & si quidem dextra mamma gracilis fiat, marem: si verò sinistra, fœminam.

39 Si mulier quæ neque grauida est, *neque peperit, lac habet, ei menstrua defecerunt.*

40 Quibus mulieribus in mammas sanguis colligitur, furorem significat.

41 Si velis noscere an mulier conceperit, cùm dormitura est, aquam mulsam ei *propinato, & si ventris tormina patiatur, concepit: sin minùs, non concepit.*

42 Mulier grauida si marem gerit, bene colorata est: si fœminam, malè colorata.

43 Si grauidæ mulieri fiat in vtero erysipelas, lethale.

44 Quæ præter naturam tenues vterum gerunt, abortiunt, donec crassescant.

45 Quæ verò mediocriter corpulentæ elidunt fœtus *bimestres aut trimestres sine occasione manifesta, ijs acetabula vteri mucoris sunt plena, nec præ pondere fœtum continere possunt, sed abrumpuntur.*

46 Quæ præter naturam crassæ quum sint, non concipiunt, ijs os vteri ab omento comprimitur: & priusquam extenuentur, non concipiunt.

Si vterus coxæ adiacens suppurauerit, linamentum recipiat necesse est.

48 *Fœtus*

48 *Fœtus mares in dextra vteri parte, fœminæ in sinistra magis* gestantur.

49 *Vt secundæ procidant, sternutatorio immisso, nares & os apprehendito.*

50 *Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.*

51 *Quæ vterum ferunt, iis vteri os compressum est.*

52 *Mulieri grauidæ si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillum significat: si verò duræ mammæ fuerint, fœtum saniorem significant.*

53 *Quæ fœtus sunt corrupturæ, ijs mammæ extenuantur contrà verò si duræ fiant, dolor aut mammas, aut çoxas, aut oculos, aut genua infestabit, nec* fœtum *corrumpunt.*

54 *Quibus os vteri durum est, ijs coarctetur os vteri necesse est.*

55 *Quæ gerentes vterum febribus corripiuntur, & vehementer sine manifesta causa extenuantur,* eæ *difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.*

56 *Si muliebri fluori conuulsio & animi defectio superueniant, malum.*

57 *Si menstrua copiosiora prodeant, morbi accidunt: & si non prodeant, ab vtero morbi contingunt.*

58 *Recto intestino, & vtero inflammato, purulentisque renibus, vrinæ stillicidium succedit: iecori verò inflammatione laboranti supperuenit singultus.*

59 *Si mulier non cõcipiat & scire velis an sit cõceptura, vestibus circumtectam subter suffito: & si odor per corpus peruadere tibi videatur ad nares & os vsque, ipsam non sua culpa sterilem esse scito.*

60 *Si mulieri grauidæ purgationes* menstruę *prodeant, bene valere fœtum* est *impossibile.*

61 Si mulieris purgationes menſtruæ non prodeant, neque rigor, neque febris ſuperueniant, faſtidia verò ei accidant, grauidam eſſe cenſeto.

62 Quæ frigidos & ſpiſſos vteros habent, non concipiunt: & quæ præhumidos vteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in eis genitura, & quæ ſicciores & adurentes: nam alimenti defectu corrumpitur ſemen: quæ verò ex vtriſque mediocrem habent temperiem, tales fœcundæ fiunt.

63 Similiter verò & in maribus: aut enim propter corporis raritatem ſpiritus foras diſſipatur, ita vt ſemẽ tranſmittere nequeat: aut propter ſpiſſitudinem humor non exit foras: aut propter frigiditatem non calefit, vt eò loci cogatur: aut propter caliditatem hoc idem accidit.

64 Lac dare capite dolentibus, malum: malum verò & febricitantibus, et quibus hypochõdria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis: malum item & quibus bilioſæ deiectiones, & iis quibus ſunt febres acutæ & quibus copioſa ſanguinis deiectio facta eſt. Conuenit verò tabidis non valde multum febricitantibus lac dare, & in febribus longis & languidis, ſi nullum ex ſuprà dictis ſignis adfuerit, & præter rationem tabefactis.

65 Quibus tumores in vlceribus apparent, ij non valde conuelluntur, neque inſaniunt: verùm his euaneſcentibus repentè quibus in poſterioribus partibus fuerint, conuulſiones vel diſtẽtiones accidũt: quibus verò in anterioribus, inſaniæ, aut lateris dolores acuti, aut ſuppuratio, aut dyſenteria, ſi rubicundi fuerint tumores.

66 Si in magnis & prauis vulneribus tumores non appareant, ingens malum.

67 Molles tumores boni, crudi vero mali.

68 Parte capitis posteriore dolenti, in fronte recta vena incisa, prodest.

69 Rigores incipiunt, mulieribus quidem à lumbis magis, & per dorsum ad caput perueniunt: sed viris parte corporis posteriore magis quàm anteriore, velut à cubitis & femoribus. Sed & cutis iis *rara est: id quod pilus indicat.*

70 A quartanis correpti, omnino non tentantur conuulsionibus: si verò prius tentati fuerint, deinde superuenerit quartana, liberantur.

71 Quibus arida & dura cutis circuntenditur, sine sudore moriuntur: quibus verò laxa & rara, cum sudore moriuntur.

72 Qui regio morbo laborãt, non multum vẽtosi sunt.

VSVS PER EXEMPLA METHODI

QVINTAE SECTIONIS.



Git in hac sectione Hippocrates de impressi mali vestigio seu de causa coniuncta, id est, de affectibus partium similariũ, organicarum & cõmunium deque eorumdem ablatione per moderatum contrariorum vsum. Inscribi potuerat hæc sectio de locis seu partibus affectis, quarum paucas easque præcipuas in exemplum traduxit, videlicet instrumenta motus, respirationis, nutritionis, & generationis, quæ continentur in capite, thorace & ventre inferiore, de reliquis obiter postea dicturus. Est

autem huius methodus præcedenti analoga, quia ſicut illic de materia morbica, hîc de parte affecta: illic de excretione materię quacumque ratione euenerit ſiue naturæ viribus, ſeu morbi aut medicamenti efficientia, hîc de formæ ablatione per moderatum contrariorum vſum, ſiue illa ſit ſimplex intemperies aut compoſita ſiue ſola & per ſe ſiue cum materia rara aut denſa:illic denique de febribus, cęteriſque affectibus, quorum eſſentia in humoribus, hîc de febribus epiginomenis locis affectis ab aliqua intemperie quacumque ratione oborta ſiue vulnere ſiue humore noxio. Accedit etiam quod ab exemplo ſit auſpicatus vtramque ſectionem propoſitæ analogiæ non alieno, illic periculorum cautioni, hîc periculorum euentui proſpiciens, quorum vis eſt ſicca intemperies ab hypercatarctico medicamento neruoſis partibus inducta. Ne autem videamur Hippocratem in hanc ſuorum aphoriſmorum diſtinctionem inuitum trahere, ſcire oportet, hunc ſicut pręmonuimus, vbique Simioticen reliquis artis partibus ſparſiſſe, vt cauſa & morbi ſpecies eſſent conijcienti conſpectiores medico, vbi præſertim partis ſitus & loci natura tantam requirunt diligentiam.

Cum autem motus inſtrumenta, cerebrum, nerui, muſculi: reſpirationis pulmo, larinx, aſpera arteria, & quinque & ſexaginta muſculi: nutritionis ventriculus cum reliquis partibus in hunc cōmunem vſum à natura pręparatis: generationis vterus & teſtes ſint partes, quę ſepius operam medici requirunt, cum ob frequentes in eas morborū inſultus, tum etiam quod ſigna pathognomonica in illis ſint quā in reliquis eui

dentiora, Hippocrates, quaſi à notioribus exempla affectuum, cauſarum, criſeos, pepſeos, periodi, paroxiſmi ab illis depromens ad obſcuriora viam patefecit.

Itaque à partium ſitu, quæ ſupra diaphragma ſunt, incipiens affectus inſtrumentorum motus, neruorum inquam diſtinctionē à ſiccitate & refrigeratione per immodicam euacuationem obortam, à primo aph. ad 4. aut per immoderatam humectationem & refrigerationem in 5. proponit. Eſt autem huius diſtentionis duplex ratio, aut enim accidit ſine motu, vt tetanos 6. aut cum motu & vibratione, vt epilepſia 7. Diſtentio ſine motu rurſus eſt totius corporis rigiditas, aut in aliquam partem capitis facta inclinatio, in anteriorem ἐμπροσθότονος, in poſteriorem ὀπισθότονος appellatur. Apoplexia, cui ſuccedit paralyſis, hîc omiſſa eſt, ob philoſyntomiam verboſæ orationis: nam cum contrariorum vna ſit ſcientia, ex cognitione diſtentionis neruorum eorumdem reſolutio percipi poteſt: Conuulſio enim ab euacuatione, apoplexia à repletione primò & per ſe, & contra. Conuulſio enim aliquando ab humectatione, & apoplexia à ſiccitate ſed per accidens: nam illa neruorum obturantur meatus, hac penitus concidunt & comprimuntur, vnde ſperitibus animalibus, permeandi poteſtas intercepta.

Hinc ad thoracem ſe conferēs affectus inſtrumentorum reſpirationis, pulmonis, laryngis, tracheæ arteriæ & muſculorum intercoſtalium ſub pleuritidis & tabis nomine perſequitur, in quibus pariter membranarum 8. coſtas ſubcingentium diſtentio ex inflammatione, diuulſio ex ſanguinis bilioſi illapſu per ve-

nam intercostalem, mammariam & azygon. Item 9. carnosæ substantię resolutio per exsiccationem à fluxu sanguinis & spirituum expiratione, vena rupta, erosa, aut aperta, aut per humectationem à distillatione ferina pulmonum substantiam corrumpente. Ad hæc interceptio viarum, qua ducitur spiritus ex musculorum inflammatione laryngis 10. Reliquis aphorismis ab 11. ad 15. symptomata anginę, tabi & pleuritidi peculiaria persequitur, ex quibus significatur pars affecta, status morbi, & periculi magnitudo.

Explicatis affectibus capitis & thoracis eorumque causis, item pepsi, crisi & periodo, quæ paroxismo & ephodo constat, ad remedia proportione illorum intemperiei, calidæ, frigidę, humidæ & siccæ respondentia, quæ fiunt fotibus & balneis extrinsecus admotis, aut apozematibus intro admissis, à 16. ad 26. ordine procedit, in quo de aqua velut de communi balneorum & fotuum materia pauca ait, illamque laudat, quæ est omnium leuissima, siue intro admissa, siue extra admota.

A motus & respirationis affectibus ad ventrem inferiorem seu ad partes quæ sunt sub diaphragmate se conferens, affectus ventriculi & instrumentorum generationis sub morborum muliebrium apparatu, partim pathologicis rationibus, partim therapeuticis persequitur. Nam septimo & vigesimo ventriculi affectus & remedia tacitè indicans reliqua ducta è præcedentibus ratione percurrenda volenti reliquit. Afficitur autem vterus triplici morborum genere, similari, organico & communi. Similari vnde intemperies humida, quę semen obruit, frigida quæ idem extin-

guit, ſicca quæ materiam non ſuggerit, calida, quæ materiam generationis abſumit. Organico, vnde conformationis & ſitus vitia: cõmuni, eryſipelas, phlegmone, œdema, ſcyrrhus. Hic accedit triplex ſymptomaton genus, facultatis læſio, excretorum ametria & ſimplices affectus, à quibus ſigna pathognomonica. Ad facultatem lęſam ſpectant conceptionis & partus impedimenta deprauatio & diminutio. Impeditur enim conceptio intemperie, denſitate, coaleſcentia, obſtructione, ſcyrrho aut menſtrui ſuppreſſione. Diminuitur affecto vtero per conſenſum nobilioris partis. Deprauatur ſi ſeminis vtriuſque non fiat concurſus. Partus impeditur impotentia enitendi, vnde plerumque fœtus cum matre extinguitur: Diminuitur difficultate pariendi, vnde Luciniæ labores: Deprauatur ex humore ſuperfluo, muco, tuſſi, ſternutatione, intempeſtiuo fœtus enixu. Secundum ſymptomaton genus in retenti & excreti ametria conſiſtit; retinentur enim menſes ante coitum, aut fœtus pręter tempus legitimæ moræ, aut ſecundæ poſt partum. Excernuntur verò immoderata menſtrua ante coitum aut diminutè, vnde ſtillicidium, aut deprauatè, vnde albus fluor. Ad tertium genus ſiue ad ſigna pathognomonica, picatio, inappetẽtia, cardiogmos é conſenſu ventriculi cum vtero: palpitatio & animi deliquium à conſenſu cordis cum eodem: epilepſia verò à cõſenſu cerebri cum eodem vtero. Ventriculo inquam corde & cerebro in vteri affectu compatientibus.

Hæc eſt methodus pathologica, quam Hippocrates præteriens therapeuticen ſubſtituit à qua ve-

lut à renata, quid moliendum, quid cauendum ſit ſequente explicauit methodo in hunc modum. Primò molitionem duplicem eſſe oſtendit artificioſam & ſpontaneam, & vtramque qualem eſſe conuenit ante & poſt conceptionis tempus apperit à 28. ad 35. Cautionem item duplicem in vtraque molitione eſſe indicat: Nam in molitione artificioſa quid educendum & apponendum ſit perpendere monet à 36. ad 46. In ſpontanea verò, quid naturale aut ſymptomaticon à 47. ad 62. tandem in 63. quæ ſit in viris facultatis generandi læſio docet.

Quod ſupereſt à 64. ad 72. partium affectarum modus quomodo ſit conſiderandus in ſitu, poſitura & conſenſu inter ſe & ad totum apperit.




SYNO-


SYNOPSIS METHODI DOCTRINAE HIPPOCRATICÆ

IN SEXTAM SECTIONEM APHORISMORVM.

CAVSARVM ET PARTIVM AFFECTARVM COGNITIO-*nem quid consequitur? morbi in specie diagnosis. Quomodo? signu à priori: nam,*



- Partis affectæ
  - Intemperies.
    - Frigida & humida
      - Ventriculi
        - Cruditatem, cruditas vero lienteriam significat.
        - Coctionem etiam cruditatis ructus acidus, 1.
      - Corporis, morbosam constitutionem nares humidæ, 2.
    - Cal. & sicca
      - Intest.
        - Ferociens malum, malum autem fer. in appetentiam:
        - Vlcera, vlcera verò dysenteriam. 3
      - Corporis cacoethes, cacoethes verò vlcus circumglabrũ, 4.
  - Situs doloris ideam indicat, 5 Imbecillitatem. 6. Profunditatem, 7. Cacochymiæ redundantiam. 8. Transpirationis amplitudinem. 9.
- Causarũ
  - Antecedentiũ
    - Motus
      - Critic⁹
        - Expellit à
          - Venis
            - Iug.
              - Externis ad pericranium.
              - Internis ad meningas. 10
            - Hæmor
              - Internis à splene.
              - Externis à iecore. 11
              - Castio 12.
            - Mesaraicis in intestina.
            - Emulgentibus in vesicam (14)
          - In quo genere est palpitatio cordis & tussis, pulmonum.
          - Tunicis
            - Cerebri motus sternutatio.
            - Ventriculi singultus. (13)
        - Reuellit contrario intestinorum motu. 15.
        - Deriuat à cerebro in iecur, & à iecore ad portas & intestina. 17.
      - Symptomatic⁹
        - Consensu partium nobilium. 16.
        - Dissensu
          - organicarum. 18.
          - Similarum 19
    - Metastasis
      - Sãg.
        - In cacoc.
          - A propria sede in alienam. 20.
          - Ab aliena in propriam 21.
        - In plethoticæ materiæ decubitu vacuandi cons. 22
      - Melancholiam ex hypochondrijs ad cerebrum. 23
      - Bilẽ
        - A partibus innobilioribus ad nobil. & contrà 24.
        - A venoso genere ad neruosum exemplũ præced. 25.
      - Serum
        - Puris in thorace eò translatus à ruptione membranæ subcingentis in pleuritide, aut à pulmonibus in peripneumonia.
        - Aquæ in abdomine eò translatæ à dehiscente iecore in cachexia, aut è liene in atonia. 27.
  - Coniunctarum. Vide. ₰



- Coniunctarum
  - Consensu
    - Personarum
      - Conditione
        - Vitę Eunuchi. 28.
        - Sexus, mulieres, 29.
        - Aetatis, pueri, 30.
      - Vitio
        - Contracto aliunde, 31.
        - Insito
          - Balbis, Traulis, Psellis, Ischnophonis, 32.
          - oxyremiodibus, 33.
          - Phalacris. 34.
    - Partiũ
      - Thoracis cum abdomine, 35.
      - Vesicę aũ venis poplitis, 36.
  - Cōsensu
    - Subiecti cum
      - Tumore
        - Situs
          - Epiphania, 37.
          - Crypsis
            - Pepasmi expertis, 38.
            - Pepasmi capacis.
              - Cum spasmo
                - A plenitudine. 39.
                - Ab inanitione.
              - Sine spasmo
                - In parte non principe. 40.
                - In parte principe. 41.
        - Renitentia
          - A cyrrho
            - Iecoris. 42.
            - Lienis. 43.
          - Ab oppressione ilei & obstructione meatus vrinarij. 44.
      - Vlcere. 45.
      - Luxatione
        - Vertebrarum præsertim à tumore, vnde cyphosis, lordosis, scoliosis 46.
        - Præcautio
          - Arte præcedentē causam remouētę. 47
          - Natura obstructionem expediente. 48.
        - Articulorum ab incursu humorum. 49.
      - Vulnere (50.)
    - Adiunctæ
      - Crisis.
        - Ad tempus
          - Decidentiæ in parte frigida & densa, vt podagra (49.)
          - Nōdec. in parte caruosa
            - Vulnus 50.
            - Apoplexia 51.
            - Conuulsio. 52
        - Ad speciem.
          - Causæ magnitudo. 53.
          - Symptomaton violentia. 54.
      - Lysis.
        - oppor. in præcauãdo
          - Per tēpora
            - Serosos affectus. 55.
            - Melancolicos. 56.
          - Per ętates. 57.
        - diffi. in curãdo
          - Citò. 58
          - Tardè
            - Causę antecedentis. 59.
            - Causę coniunctę. 60.

SECTIO SEXTA.

IN diuturnis læuitatibus intestinorum si ructus acidus superueniat, qui prius non erat, bonum est signum.

2 Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, ij valetudine mala sunt: quibus verò contraria, bona.

3 In longis intestinorum difficultatibus cibi fastidium malum, & cum febre peius.

4 Glabra vndiquaque vlcera sunt maligna.

5 Doloribus & laterum, & pectorum, cæterarumque partium, an ægri multum differant, perdiscendum est.

6 Renum vitia, & quicunque vesicam obsident dolores, in senibus difficulter sanantur.

7 Dolores ventris sublimes, leuiores: non sublimes, vehementiores.

8 Aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore nata, difficulter sanantur.

9 Latæ pustulæ non admodum pruriunt.

10 Caput dolenti & vndique (siue vehementer) laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis per nares, aut per os, aut per aures effluens, morbum soluit.

11 Melancholicis & renum morbo vexatis hæmorrhoides superuenientes in bonis sunt.

12 A diuturnis curato hæmorrhoidibus, nisi vna seruetur, periculum est ne aqua inter cutem vel tabes superueniat.

13 Singultienti sternutationes superuenientes singultum soluunt.

14 *Aqua inter cutem laboranti, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur* morbus.

15 *Longo alui profluuio laboranti spontaneus vomitus superueniens, alui profluuium soluit.*

16 *Pleuritide aut peripneumonia detento alui profluuiũ superueniens, malum.*

17 *Lippientem alui profluuio corripi, bonum.*

18 *Cui discissa est vesica, aut cerebrum, aut cor, aut septum transuersum, aut aliquod ex tenuibus* intestinis, *aut ventriculus, aut iecur, lethale.*

19 *Cum discissum fuerit os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coalescit.*

20 *Si in ventrem sanguis præter naturam effundatur, suppuretur necesse est.*

21 *Insanientibus si varices vel hæmorhoides superuenerint, insaniæ solutio.*

22 *Ruptiones quæ ex dorso ad cubitos descendunt, venæ sectio soluit.*

23 *Si timor atque mœstitia longo tempore perseuerent, melancholicum id* signum est.

24 *Si quod tenuium intestinorum discissum sit, non coalescit.*

25 *Erysipelas foris intrò verti, non est bonum: intus verò foras, bonum.*

26 *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt,* hos *delirium soluit.*

27 *Quicunque suppurati aut hydropici vruntur aut secantur, si pus aut aqua confertim effluxerit, omnino moriuntur.*

28 *Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.*

29 *Mulier podagra non laborat, nisi menstrua ei defecerint.*

30 *Puer podagra non laborat ante veneris vsum.*

31 *Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum potum, soluit.*

32 *Balbi longo alui profluuio maximè corripiuntur.*

33 *Qui acidum ructant, rarò morbo laterali corripiuntur.*

34 *Qui calui* sunt, *ijs varices magni non fiunt: quibus verò caluis varices superuenerint, ij rursus capillati fiunt.*

35 *Aqua inter cutem laborantibus tussis superueniens, malum.*

36 *Difficultatem vrinæ vena secta soluit: secandæ verò interiores.*

37 *Angina correpto si tumor oriatur in collo, bonum: foras enim morbus vertitur.*

38 *Quibus occulti cancri oriuntur, non curare melius est: curati enim citiùs intereunt, non curati verò longius tempus perdurant.*

39 *Conuulsio fit, aut ex repletione, aut* ex *inanitione: ita verò & singultus.*

40 *Quibus circa hypochondrium dolores fiunt sine inflammatione, ijs febris superueniens dolorem soluit.*

41 *Quibus in corpore pus delitescens sui indicia non præbet, ijs ob crassitudinem puris, aut loci, non se prodit.*

42 *Regio morbo laborãtibus, iecur durum fieri, malum.*

43 *Qui lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, ijs superueniente longa intestinorum difficultate, aqua intercutem, aut intestinorũ læuitas succedit, ac moriuntur.*

44 *Quibus ex stillicidio vrinæ ileus superuenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.*

45 *Quæcunque vlcera annua sunt, aut etiam longiore tempore durant,* in ijs *os abscedere* est *necesse, & cicatrices cauas fieri.*

46 *Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem, moriuntur.*

47 *Quibus venæ sectio vel purgatio confert, eis conuenit, vere venam secare vel medicamentũ purgans dare.*

48 *Lienosis difficultatem intestinorum superuenire, bonum.*

49 *Qui morbi podagrici fiunt, ij sedata inflammatione intra dies quadraginta conquiescunt.*

50 *Quibus dissectum fuerit cerebrum, ijs necesse est febrem & bilis vomitum superuenire.*

51 *Qui sani cùm sint, capitis repentè doloribus corripiuntur & statim muti fiunt, & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris apprehenderit.*

52 *Spectare etiam oportet quæ per somnum in oculis subapparent: nam si quid commissis palpebris ex albo appareat, modò non ex alui profluuio, aut medicamenti potione accidat, malum signum est, & valde lethale.*

53 *Deliratio quæ cum risu fit, tutior: quæ verò seriò, periculosior.*

54 *In morbis acutis qui cum febre* sunt, *luctuosa suspiria, mala.*

55 *Dolores podagrici vere & autumno plurimum mouentur.*

56 *Morbis melancholicis ad hæc periculosi humorum decubitus, vel stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.*

57 *Apoplexia autem fiunt maximè à quadragesimo anno ad sexagesimum vsque.*

58 *Si omentum exciderit, necessariò computrescit.*

59 *Quibus à longo coxendicum dolore vexatis, femoris caput excidit, rursumque recidit, ijs mucores innascuntur.*

60 *Quibus à diuturno dolore coxendicum vexatis, femur excidit, ijs crus tabescit, & claudicant, nisi vrantur.*

VSVS PER EXEMPLA METHODI

SEXTAE SECTIONIS.

QVæ breuiter & contractè in præcedenti sectione Hippocrates de partibus affectis proposuit, hîc paulo latiùs explicat, variéque partium, morborum & caussarum differentias peruestigat futuros rerum euentus semper prospiciens, Simioticęque intentus, vt de more, in reliquis suis operibus, quocumque illum rapit prænotionis doctrina defertur. Cum autem sint tria, quorum tecmarsin medicus per propria signa debet obseruare, pars affecta vbi sedes morbi, causa, & morbi species: de parte, vbi est sedes morbi in quinta sectione breuiter, paucis in exemplum adductis affectibus, pauca dixit: situs partium αὐθοψίαν administrationibus anatomicis relinquens, & tecmarsin affectuum singularũ partium è triplici genere symptomaton, actione læsa, in qua dolor, excreti & retenti ametria, & simplicibus affectibus, vnde signa pathognomonica, in septimam sectionem relegans.

Quod superest, morbi genus cum sit triplex: par-

tis similaris, organicæ, & communis, prioris, videlicet partis similaris affectus, in simplici aut composita intemperie positos tetigit, remedijs ad illos curandos propositis analogia causæ respondentibus. Sunt enim, qui intemperiem siccam aut humidam, calidam aut frigidam solas aut coniugatas nolint nomine morborum similarium appellare, sed causarum continentium, quod non magni referre existimo, cum causa continens & morbus similaris sint planè eidem, causa morbi naturam induente, non secus ac materia formam. Nam causarum cum sint duo summa genera exterior siue procatarctica & interior: ex exteriore, siue sint res non naturales, aut præter naturam, fiunt interiores, quarum vna antecedit plethora aut cacochymia, altera sequitur, continens seu coniuncta appellata, intemperies videlicet partis naturam causæ morbificæ induentis.

Itaque Hippocrates statim in principio huius sectionis ἀνακεφαλέωσιν præcedentis præfixit, vbi de intemperie & situ partium. Mox subiunxit signa quę ducuntur à causis antecedentibus & coniunctis, siue cōtinentibus, in hunc modum. Cum duplex sit inuestigandi via, vna à priori, qualem constituimus in sexta sectione, altera à posteriori in septima: non alienum erit à proposito instituto, si aliquot exemplis propositis totam rem intellectui subijciam. Intemperies frigida & humida ventriculi causa est cruditatis, cruditas verò lienterię: & contra à posteriori, lienteria symptoma est cruditatis, cruditas verò intemperiei frigidæ & humidæ ventriculi: sic restitutus calor stoma-

chi coctionem facit, coctio verò ructum acidum, & cõtra ructus acidus coctionẽ indicat, coctio verò calorẽ restitutũ 1. Intemperies frigida & humida corporis morbosam facit constitutionem, morbosa verò constitutio nares humidas, & contra, nares humidæ sunt symptoma morbosæ constitutionis, morbosa verò constitutio intemperiei frigidæ & humidæ. 2. Item intestina malè affecta grauem inferunt vẽtriculo perniciem, ventriculi pernicies cibi fastidium, 3. Sic mala corporis intemperies cacoethes facit, cacoethes verò vlcus circumglabrum: contra, vlcus circumglabrũ cacoëthes, cacoëthes verò malam corporis intemperiem eodem modo significat 4. Sic è dolore lateris efferi humoris in latus translatio, à translatione tunicæ costis intextę inflammatio. 5. Sic ex ætate senili imbecillitas, ex imbecillitate partis affectę pernicies 6. Sic etiam è dolore manus nullum periculum, è iecoris verò maximũ vitæ discrimen 7. Sic ex morbo epiginomeno causæ orgasmus, ex orgasmo morbi primarij magnitudo 8. Sic ex amplitudine loci, causæ transpiratio, ex transpiratione, partis securitas.

Ita parte affecta peruestigata motum aut quietem materiæ morbificæ intueri licet: nam dum mouetur, vocatur causa antecedens, impacta verò & quiescens coniuncta, idem pene cum morbo. Mouetur autem materia dupliciter, aut perfectè ad sui excretionem, aut imperfectè ad sui metastasin, vtroque modo criticè & symptomaticè. Criticus motus indicatur à 10. aphorismo ad 17. à quo tamen defecit decimus sextus, migrauitque in symptomaton ordinem, quo

18. & 19. continentur: nam omnis motus violentus, vt continui solutio, est symptomaticus.

Imperfectus motus metastasis appellatur, cuiusmodi sanguinis in cachochymia à propria sede in alienam, aut ex aliena in propriam 20. & 21. aut in plethora 22. Item melancholiæ ex hypochondrijs in cerebrum 23. Bilis à partibus nobilioribus ad ignobiliores & contra 25. aut à venoso genere ad neruosum 26. Sic 27. cõtinet cautionem in molitione artificiosa puris & seri in hydropicis.

Itaque duplici motu materiæ peruestigato, quorum alter fuit ad sui excretionem, alter verò ad aliquod membrum aut partem, vbi quiescit, vnde fit causa continens, primò de consensu materię cum parte, quam semel occupauit à 38. aph. ad 34. digreditur. Fit autem ille cõsensus ratione personarũ quæ peculiari aliquo vitio affectæ sunt, siue insito, siue aliunde contracto. Vt autem sunt quædam membra, quæ primò & per se causæ morbificę consentiunt, vt lingua balbutiens exuperantibus humoribus, sic aliqua pariter esse intelligendum est ex 35. & 36. aphoris. quæ alia aliorum compatiantur affectibus.

Materia igitur quæ se in aliquam partem transtulit, aut eam in suam naturam conuertit, vt elephas, alphos, leuce, melasma, aut partem sua qualitate afficit, vt reliqui ferè omnes tumores, siue sit phlegmone, œdema, scyrrhus, erysipelas, siue qui à flatu, sero, materię affusione, cohibitione procedunt. His adde quę extrinsecus accedunt vulnera & luxationes, & ijs epiginomena vlcera, cæteraque mala, quę partium


robur & ſubſtantiam diſſoluunt, niſi diligenti caloris naturalis efficientia, dum coquit & pus mouet lauda-bile, auxiliarique medicorum manu, ſuperentur. Qua ratione videre licet à 37. aphoriſmo ad 50. tumorum, vlcerum, vulnerum & luxationum admira-bilem tecmarſin, cui ſuccedit à 49. ad 60. diligens caloris naturalis in ijs ſuperandis efficientia.




SYNOPSIS
METHODI
DOCTRINAE
HIPPOCRATICÆ

IN SEPTIMAM
SECTIONEM APHO-
RISMORVM.

MORBI SPECIEM QVID CONSEQVITVR? CORPORIS interitus, aut eiusdem curatio. Quomodo? Indicatione sumpta à posteriori, nempe ab effectu.




x. A iecore influente
- Metastasi
  - Anarrhopos
    - Thoraciearum partium situs: nam cor parum à medio in sinistram declinat partem: azygos à dextro latere in sinistrum transit inferiores costas suis surculis alitura: intercostalis quatuor superiores: mammaria thoracis musculos & mammas interluit.
    - Humorum cōditione
      - Bilem
        - Per cōsensum
          - In ventriculum. 17.
          - In cerebrum. 18.
        - Sine cōsensu
          - Intro spurius
            - Periostij erosione. 19.
            - Carnis corruptione. 20.
          - Foras per adelen diapnoen
      - Sanguinem spirituosum in viscera, 21.
  - Catarrhopos
    - Aluinarum partium situs: dextro hypochondrio tegitur hepar, sinistro lien & ventriculi maxima pars, lumbis hęrent renes: ilibus dextris intestinum cęcum, sinistris colon & ieiunum: ad vmbilicum coli & ieiuni portio: imo ventri longano, vesica, vterus. 22.
    - Humorū conditione
      - Acris
        - In intestina.
        - Parenthetici aphorismi, 24. 25.
        - In viscus phlegmone laborans 26.
        - In rectum intestinum. 27.
      - Crudi
        - Parentheticus aphoris. 28.
        - Pituitę
          - Per metastasin ex habitu. 29.
          - Per palindromen à capite. 30.
        - Seri
          - Hypost. 31. 32.
          - Eneor. 33. 34.
          - Superf. 35. 36.
      - Cocti
        - Sanguinis vomitione. 37.
        - Sanguinis mictione. 38.
- Palindrome
  - A iecore per caput in pulmones 39.
  - A liene per caput in linguam. 40.



λ Causæ coniunctæ, id est, morbi.
- Impressi
  - Personis
    - Senum ratione siccitatis, 41.
    - Hecticorum vredinis, 42.
    - Mulierum imbecillitatis, 43
    - Empyorum
      - Puris inclusi
        - In thorace 44.
        - In iecore, 45.
      - Parethenicus aphorismus, 46.
      - Humoris reclusi à iecore, 47.
  - Partib⁹
    - Inflammatis
      - musculorum
        - Vesicę, vnde retentio vrinę, 48.
        - Laryngis, vnde impedimentum respirationis, 49.
      - Substãtiæ
        - Cerebri, gangrena, in faciendo, 50.
        - Cranii sphacelus, in facto.
    - Tumefactis
      - Flatulẽtò
        - Vapore
          - Inter ossa ethmoidea, ventriculos & menyngas 51.
          - Inter membranam hepatis & eiusdem parenchyma 52.
          - Cautio practica. 53.
        - Pituita inter diaphragma & ventriculum. 54.
        - Aqua inter omentum & intestina. 55.
        - Materia quæuis permusculos maxilares. 56
      - Interclusa
        - Vrina ab obstructione. 57.
        - Spiritu à concussione cerebri. 58.
- Delendi siue remouendi, Vide. 4.

Delendi


1
Delendi aut remouendi
Curando
Humorũ eductione
Vbi febris abest
Dieta per
Inediam luxuriante pituitę opia, 59.
Pepasmo remorante expectorationem, vbi varię & contrarię sunt causæ, 60.
Purgatione vbi succorum turget copia, 61.
Vbi febri adest
An purgandũ ratione
Essẽtię
In continua raro, vbi maxima putredo & visceris noxa vires exhaurit, 62.
In intermittente frequentius, quia minor putredo & viscerum noxa.
Causse superstitis
Crassę & frigidę
Per decubitũ & dolores.
Per abscessus in articulos debiles, 63.
Remotę sola ciborum vbertate peccante, 64.
Dieta vtendum vbi à pepsi ad pepasmũ reuocandus est calor natiuus. 65.
Excretorum contẽplatione. S.
Genus
Vrinarum. 66.
Deiectionum. 67.
Sputi siue screatus. 69.
Qualitatem
Cruditas melancholiæ soboles 68.
Coctio
Precedentibus signis bona,
Non præcedentibus mala. 69.
Cauendo
Per artificiosã
Molitionem. 70.
Rerum non naturalium administrationem. 71.
Per ordinariã epiginomenon ephodõ.
Febribus.
Simplicium affectuum circa visum. 73.
Simplicium affectuum circa tactum. 72
Reliquis affectib⁹
Humorũ conditione
Sanguinis pituitosi in venis. 74.
Deiectionis Syncer æ & erodentis. 75.
Partiũ consensu
Ventriculi cum intestinis. 76.
Vicinæ carnis cum osse. 77.
Anacephaleosis cautionis
In morborum encyclosi.
In causarum encyclosi.

SECTIO SEPTIMA.



N morbis acutis frigus partium extremarum, malum.

2 *Super osse ægrotanti caro liuida, malum.*

3 *A vomitu singultus & oculorum rubor, malum.*

4 *A sudore horror, non bonum.*

5 *A furore dysenteria, aut aqua inter cutem, vel mentis alienatio* vehemens, *bonum.*

6 *In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones synceræ, malum.*

7 *A multa potatione rigor & desipientia, malum.*

8 *A tuberculi introrsum ruptione, exolutio, vomitio, & animi defectio fit.*

9 *A sanguinis profluuio desipientia, aut etiam conuulsio, malum.*

10 *Ab ileo vomitus, aut singultus, aut conuulsio, aut desipientia, malum.*

11 *A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.*

12 *A pulmonis inflammatione phrenitis, malum.*

13 *Ab æstibus vehementibus conuulsio aut distentio, malum.*

14 *A capitis ictu stupor aut desipientia, malum.*

15 *A sanguinis sputo puris exputio, malum.*

16 *A puris sputo phthisis & fluxio: quum verò sputum retentum fuerit moriuntur.*

17 *Ab hepatis inflammatione singultus, malum.*

18 *A vigilia conuulsio, vel desipientia, malum.*

19 *Ab ossis denudatione erysipelas, malum.*

20 *Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum.*

21 *A forti in vlceribus pulsu profluuium sanguinis, malum.*

22 *A diuturno partium circa ventrem dolore suppuratio, malum.*

23 *A syncera deiectione difficultas intestinorum, malum.*

24 *Ab ossis percisione desipientia, si vacuum apprehenderit, malum.*

25 *A medicamenti potione conuulsio, lethalis.*

26 *A vehementi dolore circa ventrem, partium extremarum algor, malum.*

27 *Mulieri grauidæ si assidua egerendi cupiditas superuenerit, abortum facit.*

28 *Quodcunque os, siue cartilago, siue neruus abscissus fuerit in corpore, neque augetur, neque coalescit.*

29 *Si alba pituita detento fortis ventris fluxus superuenerit, morbum soluit.*

30 *Quibus in aluiprofluuiis spumosa sunt excrementa, ijs à capite ea defluunt.*

31 *Quibus febricitantibus in vrinis sedimenta crassiorem farinam referunt, longam ægritudinem significant.*

32 *Quibus in vrinis biliosa sedimenta, suprà* (vel *priùs*) *verò tenuia, acutum morbum significant.*

33 *Quibus diuulsæ sunt vrinæ, iis vehemens fit in corpore turbatio.*

34 *Quibus in vrinis bullæ supernatant, renum morbum, eumque longum fore significant.*

35 *Quibus adipalis superficies & conferta, iis renum vitium & acutum* morbum *significat.*

36 *Quibus verò è renibus laborantibus prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiant, extrinsecus abscessum* quoque *futurum expecta: si verò dolores circa interiora magis fiant abscessum etiam intrinsecus potiùs futurum expecta.*

37 *Qui sanguinem vomunt, si sine febre, salutare: si cum febre, malũ: curandũ verò refrigerãtibus & abstringẽtibus.*

38 *Destillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.*

39 *Si quis sanguinem & grumos meiat, & vrinæ stillicidio laboret, dolorque ad interfemineũ, imum ventrẽ & pectinẽ incidat, ad vesicam loca malè habere significat.*

40 *Si derepentè lingua incontinens fiat, aut aliqua corporis pars attonita stupeat, eiusmodi est melancholicum.*

41 *Si senioribus supra modum purgatis singultus supervenerit, non bonum.*

42 *Si febris non ex bile sit orta, multa aqua eaque calida capiti superfusa, febris soluitur.*

43 *Mulier non fit ambidextra.*

44 *Qui supurati vruntur aut secantur, si purum & album pus effluxerit, euadunt: si verò subcruentum, fæculentumque ac fœtidum, intereunt.*

45 *Quibus suppuratum iecur aduritur, si purum pus fluxerit & album, euadunt: in tunica enim ipsis pus continetur, si verò qualis amurca fluxerit, intereunt.*

46 *Dolores oculorum post meri potum, & aquæ multæ calentis balneum, venæ sectione curato.*

47 *Si hydropicum tussis habeat, desperatus est.*

48 *Vrinæ stillicidium & meiendi difficultatem vini potio & venæ sectio soluit. Incidendæ autem interiores.*

49 *Ab angina detento tumor & rubor in pectore su-*

perueniens, bonum: foras enim conuertitur morbus.

50 *Quibus cerebrum sideratum est, intra tres dies inte-reunt: si verò hos superauerint, sani fiunt.*

51 *Sternutamentum fit ex capite, cerebro excalfacto, aut perhumectato inani quod in capite* est. *Aer enim intus contentus, foras erumpit: strepit autem, quia per angustum ipsi est exitus.*

52 *Quibus hepar vehementer dolet, iis febris superueniens soluit dolorem.*

53 *Quibus sanguinem è venis mittere confert, iis vere secare venam oportet.*

54 *Quibus inter ventriculum & septum transuersum pituita concluditur, & dolorem adfert, ad alterutrum ventrem exitum non habens, iis per venas ad vesicam versa pituita, morbi fit solutio.*

55 *Quibus iecur aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, ac moriuntur.*

56 *Anxietudo, oscitatio, horror* si adsint, *vinum par pari potum soluit ægritudinem.*

57 *Quibus in meatu vrinario tuberculum gignitur, ijs suppuratione facta, & eruptione dolor soluitur.*

58 *Quibus ex occasione aliqua cerebrum fuerit concussum, mutos protinus fieri est necesse.*

59 *Corporibus humidas carnes habentibus, famen adhibere conuenit: fames enim siccat corpora.*

60 *Vbi in toto corpore mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, morbi significatur longitudo.*

61 *Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens humoris copiam inesse significat. Deducere igitur oportet in robusto quidem supernè, debili verò infernè.*

62 Si febres non intermittentes tertio quoque die vehementiores fiant, periculosæ: quoquo modo autem intermiserint, significant se periculosas non esse.

63 Quibus febres longæ, ijs tubercula aut in articulis dolores fiunt.

64 Quibus tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decumbunt, hi pleniore cibo vtuntur.

65 Si quis febricitanti cibum dederit, valenti quidem robur, ægrotanti verò morbus fit.

66 Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, an talia sint qualia sanis excernuntur: nam quæ his minimè sunt similia, ea morbiosiora: quæ verò sunt sanis similia, minimè morbosa.

67 Et quibus deiectiones, si residere sieris, nec moueris, subsistunt veluti strigmenta (& si pauca sint, paruus morbus est: si verò multa, magnus) ijs aluum infernè purgari confert, quòd si aluo non purgata sorbitiones exhibueris, quo plures dederis, eo magis nocebis.

68 Quæ cruda deorsum secedunt, ab atra sunt bile: si plura maior: si pauciora, minor morbus est.

69 Excreationes in febribus non intermittẽtibus liuidæ, cruentæ, biliosæ, fœtidæ, omnes malæ: cùm verò bene excernuntur, bonæ. Per aluum etiam, & per vesicam, & vbicunque aliquid secedens substiterit non purgatum, malum.

70 Corpora quà quis purgare volet, fluida faciat oportet: & si quidem suprà velit, aluus sistenda: si verò infrà, humectanda.

71 Somnus & vigilia, vtraque modum si excesserint, morbus.

72 In febribus non intermittentibus, si exteriora fri-

geant, interiora vrantur & sitiant, lethale.

73 *In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertatur, si non videat si non audiat,* cùm *iam debilis est, quicquid horũ acciderit, letale.*

74 *Albæ pituitæ aqua inter cutem superuenit.*

75 *Ab alui profluuio difficultas intestinorum.*

76 *Difficultati intestinorum superuenit eorundem læuitas.*

77 *A sideratione ossis abscessus.*

78 *A sanguinis vomitu tabes, & puris per superiora purgatio: à tabe fluxio de capite, à defluxu profluuium alui, ab alui profluuio retentio purgationis per superiora, à retentione mors.*

79 *Qualia* fuerint *& vesicæ & alui excrementa, &* quæ *per carnes* abeunt, *& si qua aliâ corpus à natura exierit,* spectare oportet. *Nam si parum, paruus morbus est: si multum, magnus: si valde multum, hoc lethale.*

VSVS PER EXEMPLA METHODI

SEPTIMAE SECTIONIS.

IN præcedenti sectione Hippocrates è natura partis morbi genus, è morbi genere causæ conditionem è causæ conditione tria symptomaton genera: deinde ad materiam morbificam accedens illam moueri aut perfectè ad sui excretionem, aut imperfectè ad sui metastasin, & vtroque modo criticè aut symptomaticè indicauit.

Motus perfectus non indiget hic maiori disquisitione, cùm de eo sufficienter in primis duabus sectionibus & sequentibus sit expositum. Superest imperfectus, quando materia in aliquam partem se transtulit, & quam in suam naturam conuertit, aut sua qualitate afficit, vnde triplex morbi genus, similare, in quo intemperies omnis ab exuperantibus materiæ qualitatibus: organicus, in quo deformitas omnis à materiæ cohibitione aut affusione: communis in continuarum partium aut contiguarum diuulsione, quæ materię accedentis fit penetratione, donec mẽbrum penitus occupet in eóque delitescat. Calor porro naturalis, vbi impactam collectamque pariter materiam cum suis qualitatibus diutius ferre non potest eiusque stimulis lacessitus, totis viribus coctione domare, excutere, longè à se deponere, aut per loca conuenientia expellere nititur: hæc summatim in pręcedenti sectione, vt iam à me præmonitum est, Hippocrates obseruauit.

In hac verò septima & omnium postrema, caloris cum materia, ægri cum morbo pugna, conflictus, eluctatio, alterutrius victoria aut prostratio proponitur. Sicut enim imperator generosus vel hostiũ multitudine, vel virium magnitudine in arce obsessus, si auxiliares deficiant copiæ, ab hoste inclementissimo superatur, mortique addicitur. Ita calor noster insitus humorum copia vel qualitate obsessus, vbi auxiliares seu exterorum copiæ, facultates videlicet, quæ nostrum corpus tuentur, operam suam accommodare recusant: ad hæc, si earum pedites, vrina, alui excrementa, sputa, respiratio, pulsus & functiones

reliquæ

reliquæ illis consentiunt: tunc vultu Hippocratico, decubitu non consueto, sudore & extremitatibus frigidis, somno, qui fit ore aperto, corporis grauitate, oculis non sponte illacrymantibus, peruersis, lumen refugientibus, testatur se opprimi symptomatō multitudine, extinctionique addici. Quare non secus ac in sexto à priori fiebat affectuum peruestigatio, ita in septima à posteriori eorumdem fit inquisitio in hunc planè modum. Caloris extinctio humidi primigenij consumptionē significat, humidi verò consumptiō partium tabem &c.

Diuiditur autem hæc sectio in duas partes, quarum prima complectitur 40. aphoris. Postrema residuum à 40. ad 79. Prima effectum causæ antecedentis, id est, symptoma, postrema effectum causæ coniunctæ, morbum scilicet, aut à materia morbifica impressum à 41. ad 58. aut arte medica superandum à 59. ad 79.

Itaque in principio proponuntur symptomata primi generis facultatis scilicet læsæ. Læditur autem trifariam ipsa facultatum essentia, calor inquam naturalis & spiritus: calor extinctione, remissione & prostratione: spiritus suffocatione & exhalatione, de quibus à primo aphorismo ad nonum. Item symptomata secundi generis, quorum consideratio est aut ratione mobilis materię, aut partiū infirmitate vel robore, in quibus insidet. Ratione materię, quando ipsa pepasmi expers, velut furore percita modo huc modo illuc, anarrhopos, catarrhopos, metastasi, palindrome fertur ob copiam & malignam qualitatem, vnde crebræ symptomaton mutationes, capitis, tho-

racis, iecoris, cęterarumque partium affectiones contingunt, à 10. ad 40. aphorismum.

Hactenus de prima huius sectionis parte, in quà de effectu causę antecedentis symptomate videlicet: sequitur secunda, effectus alterius causę coniunctę, nempe morbi impressio: imprimitur autem personis & partibus, quemadmodum docetur ab aphoris. 41. ad 57. Methodo autem deletur in qua curandi & cauendi morbos pręcepta continentur, auxiliaresque medicorum manus naturæ adhibentur. Curantur autem morbi materię morbificę eductione à 59. ad 65. & eductæ materiæ iudicio, vnde indicationes sumuntur à 66. ad 69. Cauentur verò per artificiosam euacuationem & rerum naturalium administrationem 70. 71. Item per ordinariam epiginomenon ephodon cum in febribus tum etiam in reliquis affectibus, in quibus indicationes sumuntur ad futuros morborum exitus. In hac postrema sectione aphoris. ordo non vbique respondet Hippocraticæ methodo, quia ex obseruatione Galeni multi sunt interpositi aliunde aduentitij.

FINIS.

Dum spiro, vnum Christum
spero.

